MASTER NEGATIVE NO. 93-81627-16

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR:

WITTEN, FRIEDERICH

TITLE:

QUA ARTE ARISTOPHANES...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1878

Master Negative #

93-81627-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Witten, Friedrich. 1844-
Qua arte Aristophanes diverbia composuerit.
Halis Saxonum 1878. 0. 49 p.
Doctor's dissertation at Halle (Ger.) university.

No. 8 of a vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 8

QUA ARTE ARISTOPHANES DIVERBIA COMPOSUERIT.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

FRIDERICUS WITTEN
BRUNSVICENSIS.

HALIS SAXONUM
TYPIS KARRASIANIS
MDCCCLXXVIII.

Aequabilis partium singularum dispositionis studium in arte Graecorum ubivis regnare non solum opera quae ad architecturam sculpturam picturam pertinent, sed etiam artis poëticae reliquiae documento sunt. In carminibus Homericis nonnullos locos ita compositos esse, ut singulae partes accurate sibi respondeant, ante omnes Köchlyus, quo erat ingenii acumine, ostendit; in poësi lyrica quam dicunt complures viri docti aequabilis partium dispositionis vestigia repperer unt et aperuerunt; atque in poësi dramatica et tragicorum et comicorum hoc aequabilitatis studium conspici his nostris temporibus in dies magis magisque intellegitur. Ut mittam poëtas tragicos, quorum diverbia quoque artificiose disposita esse Ritschelius Ribbeckius Weilius Hirzelius Czwalina Weckleinius alii summo ingenii acumine et summa diligentia ostenderunt, in Aristophane quoque, poëtarum comicorum principe, operam suam nonnulli viri docti posuerunt atque eo rem perduxerunt, ut consulto poëtam hanc externam artem quaesivisse et captasse ostenderent. Primus G. Hermannus, ex quo omnes quaestiones quae ad artem scenicam et metricam poëtarum tragicorum et comicorum pertinent quasi ex fonte oriri non solum Ricardus Arnoldtius[1]), sed omnes qui in hanc artem inquisiverunt pleno ore praedicant, aequabilem illam dispositionem, quae in Avium vv. 451 sqq. conspicitur, repperit et publici iuris fecit (elem. doctr. metr. p. 723). Deinde Reisigius (conject. in Arist. p. 203) et Engerus (ad Lysistr. v. 532 et in annal. phil. vol. 69 p. 361 sqq)

---

[1]) in prooemio eius libelli, cui inscripsit die Chorparthieen bei Aristophanes scenisch erläutert (Lipsiae 1873).

nonnulla responsionis vestigia, quae et in Lysistrata et in aliis Aristophanis fabulis conspiciuntur, detexerunt. H. Saupius in epistola illa critica, quam anno 1841 ad G. Hermannum scripsit, in Equitum vv. 216 sqq. concinnam dispositionem ostendit et turbatam lacuna indicata redintegravit. W. Helbigius (in mus. rhen. vol. XV p. 251 sqq.) exempla notissima huius responsionis collegit alia adjecit alia viros doctos, ubi accuratius in superstites Aristophanis comoedias inquisiverint, inventuros esse confidenter praedicavit; et O. Ribbeckius in praelectione illa academica Bernensi, quae in nov. mus. Helvet. vol. I p. 213 sqq. publici juris facta est, etiam in Aristophane studium aequabilitatis conspici et ostendi posse contendit. Accuratissime vero in Aristophanis artem Jac. Oerius inquisivit, qui post dissertationem inauguralem, quam „de responsionis apud Aristophanem rationibus et generibus“ (Bonnae 1865) scripsit, omnes qui huc pertinere videbantur Aristophanis locos in annal. phil. vol. 101 p. 353 — 390 et in libello scholastico, cui „novae in responsionem Aristophaneam animadversioues“ inscripsit (Scaphusae 1876), collegit atque id praecipue egit, ut non solum in colloquiis versus inter singulas personas aequabilibus vicibus distributos esse, sed singulas scenas et scenarum partes pari versuum numero sibi respondere ostenderet. Quum hujus responsionis cui constructivae nomen indidit non solum vestigia in omnibus antiquioribus Aristophanis fabulis, sed etiam testimonium externum antiqui scriptoris invenisse sibi videretur, eo res pervenit, ut in conventibus philologorum Germanorum, qui Tubingae anno 1876 et Wiesbadi anno 1877 habebantur, haec quaestio tractaretur et illic exempla hujus responsionis enumerarentur, hic hujus artis leges constituere viri docti conarentur. Sed accidit, ut nonnullis suspicio injiceretur Oerium hanc artem latius quam par esset extendisse atque interdum poëtae verbis et sententiis vim fecisse, neque id solum agi viri docti praedicarent, ut pari vv. numero scenas contineri ostenderetur, sed ut ratio hujus artis intellegeretur. Quo factum est, ut sectio illa philologorum quam dicebant grammatico-criticam rem nondum absolutam esse contenderet, sed expressis verbis eam

nova inquisitione indigere diceret. Cui inquisitioni ut operam navarem, eo perductus sum, quod intellexi aliis quoque de caussis post Oerii diligentissimas et accuratissimas inquisitiones novam pertractionem desiderari. Nam primum id agitur, ut omnes responsionis rationes a simplicissima usque ad perfectissimam diligentissime perquirantur neque prima illa, cui jam veteres stichomythiae nomen indiderunt, neglegatur; nam ita demum intellegetur, quomodo poëta a simpliciore ad perfectiorem et reconditiorem artem progressus sit. Deinde Oerius id fere prorsus neglexit, ut singularum fabularum responsiones inter se comparando artem poëtae magis magisque excultam atque postea imminutam esse ostenderet. Quum praeterea in caussam hujus responsionis inquirendum atque singulos qui huc pertinent locos accuratius retractandos esse viris illis doctis ducibus contenderim, confido me veniam impetraturum esse, ubi post illas diligentissimas viri docti disquisitiones rem quasi de novo exordiar atque ostendere conabor hujus quoque artis leges certas conspici et observari.

Atque ubi inquisiverimus in externa hujus responsionis testimonia, quae apud scriptores veteres inveniuntur, tres praecipue loci nobis occurrent. Pollux (onom. IV, 113) dicit: *στιχομυθεῖν δὲ ἔλεγον τὸ παρ᾽ ἓν ἰαμβεῖον ἀντιλέγειν καὶ τὸ πρᾶγμα στιχομυθίαν,* unde id certe apparet, has versuum alternantium vices, in quibus artem quandam positam esse viri docti suo jure contenderunt, jam a veteribus grammaticis animadversas et indicatas esse. Nec minus memorabile est, quod Hesychius vocabulum *ἀντιλαβαὶ* his verbis explicat: *διαλογικαὶ ῥήσεις ἐξ ἡμιστιχίων λεγόμεναι κατὰ μικρὸν παρὰ τραγικοῖς,* nam inde colligi potest etiam in hemistichiis alternantibus artem quandam jam pridem conspectam esse, quamvis non recte haec hemistichia ad solas tragoedias referantur. Tertius locus ille est, quem primus Czwalina [1]) eumque secutus Oerius (in thesi septima quam conventui philologorum proposuit) ad eam quam dicit constructivam responsionem retulit. Donatus in extremo Hecyrae argumento (ed. Westerhov. p. LXXXVI) dicit: docet autem

---

[1]) de Euripidis studio aequabilitatis p. 47 sqq.

Varro neque in hac fabula neque in aliis esse mirandum, quod actus impares scenarum paginarumque sint numero, quum haec distributio in rerum descriptione, non in numero versuum sit constituta, non apud Latinos modo, sed apud Graecos ipsos. Sed mihi neque Czwalina in eis quae p. 48 exposuit neque Oerius persuadere potuit Varronem aliud quidquam dicere voluisse nisi id ipsum quod dixit, actus scenasque, quae apud Romanos distinguantur, non versuum numero, sed re ipsa inter se distribui; neque recte inde colligi putaverim fuisse nonnullos grammaticos, qui secundum versuum numerum actus scenasque distribuerint, nedum apud Graecos scenas ipso vv. numero distribui.

Sed quamvis nostro jure contendamus a veteribus grammaticis nullam animadversam esse responsionem diverbiorum nisi stichomythiam monostícham et hemistícham quam dicimus [1]), tamen ex eis quae hucusque exposita sunt colligitur recte tria responsionis genera distingui et apud poëtas tragicos et apud comicos: stichomythiam, reconditiorem quandam colloquii responsionem, denique constructivam illam responsionem, qua integrae scenae pari vv. numero inter se congruunt. Jam omnia horum trium generum exempla Aristophanea recensenda et illustranda sunt, ut inde, quid de tota quaestione illa statuendum sit, intellegatur. Quare tripartitam meam disputationem esse volui.

I.

Quum stichomythia illa nil sit nisi unum idque simplicissimum responsionis genus, alia vero aequabilis dispositionis exempla et apud tragicos poëtas et apud Aristophanem haud raro inveniantur, id primum videtur inquirendum esse, quantum spatii Aristophanes stichomythiis, quantum aliis responsionibus tribuerit, ut excultae aut minutae artis vestigia reperiamus. Atque hoc monendum est, in antiquioribus Aristophanis fabulis non multa stichomythiae exempla con-

[1]) cfr. quae exposui „de tragicorum Graecorum stichomythia" p. 17.

spici eaque talia esse, ut non temere neque sine ratione adhibita esse videantur. Nam quum versus alterni haud dubie majorem animi perturbationem exprimant, stichomythiae suo loco positae esse non videntur, nisi ubi vehementissima rixa personae altercantur aut brevissimis interrogationibus statim brevissima responsa opponuntur. Hanc legem, quam apud Aeschylum et Sophoclem accuratissime observatam esse alio loco ostendi [1]), etiam apud Aristophanem regnare videmus. Nam in Acharnensibus nulla invenitur stichomythia nisi sub finem, ubi Dicaeopolis et Lamachus vehementissime inter se rixantur, cum suo uterque servo verba se facere simulantes. (vv. 1095 sqq. [2])) Quae vero praeterea inveniuntur singulorum versuum vel hemistichiorum vel binorum versuum inter complures personas distributorum exempla (vv. 284 sqq.), haec stichomythiae non annumeranda sunt, quum eis chori et Dicaeopolidis colloquium contineatur, verba vero chori inter singulos choreutas distribuenda sint, ut R. Arnoldtius (die Chorparthieen bei Aristophanes scenisch erläutert, S. 30 sqq.) rectissime demonstravit. In Equitibus deinde omnes stichomythiae suo loco positae sunt; nam ubicunque Paphlago et insiciarius (Cleon et Agoracritus) acrius in se invehuntur, singulis versibus alternantibus utuntur (vv. 284 sqq. 361 sqq. 694 sqq. 708 sqq. 902 sqq.) In Nubibus Vespis Pace Avibus Ranis nullae omnino stichomythiae reperiuntur. Nam quod Nub. 426-438 instituitur colloquium inter coryphaeum atque Strepsiadem binis utriusque vv. absolutum ad stichomythiae rationem non accedit; neque vv. 908 sqq., quibus justi et injusti oratoris convicia continentur, accurate leges stichomythicas sequuntur, neque quod inter Strepsiadem et Pasiam (vv. 1230 sqq.) neque quod inter Strepsiaden et Amyniam (vv. 1276 sqq.) institutum est colloquium legibus stichomythiae astrictum est, ita ut facile crediderіs contaminata priore Nubium recensione etiam stichomythiae vestigia deleta esse. Vesp. 1354 sqq. non accurate sequuntur leges stichomythicas, alterum vero sticho-

[1]) cfr. de tragicorum Graecorum stichomythia p. 7 sqq.
[2]) numeri sunt editionis Meinekianae.

mythiae exemplum in hac fabula non reperitur. In Pace quod invenitur παραχορήγημα (vv. 114—119), quo Trygaeus cum filiabus suis colloquitur, stichomythiae non annumerandum est; nam mihi non videtur dubium esse, quin recte Richterus (in editione sua) et Chr. Muffius (über den Vortrag der chorischen Parthien bei Aristophanes, S. 110 f.) eos vv., qui filiae (κόρη) in codicibus dantur, inter septem Trygaei filias distribuerint. Quod vero vv. 236—254 Trygaeus et Polemos binos vv. loquuntur, eo non efficitur stichomythia disticha, quum alter alterum non aspiciat neque audiat, uterque vero secreto loquatur. Vv. vero 301 sqq., quibus chorus cum Trygaeo colloquitur, quum chori verba Arnoldtius (l. c. p. 55 sqq.) evicerit inter singulos choreutas distribuenda esse, stichomythiam non efficiunt. In Avibus vv. 667 sqq. Pisthetaerus et Euelpides de Procne colloquuntur, neque hoc colloquium stichomythiis annumerandum est; nec magis vv. 859 sqq., ubi sacerdos ille Pisthetaerum prosa oratione interrumpit, pro stichomythia habendi sunt; vv. vero 1199 sqq., quibus Pisthetaerus et Iris brevissimis interrogationibus et responsis inter se altercantur, non satis accurate stichomythiae leges sequuntur, neque aliter vv. 1410 sqq. se habent. In Ranis nullum colloquium, quod stichomythiis adscribi possit, invenitur. Sed in Lysistrata Thesmophoriazusis Ecclesiazusis Pluto haud pauca stichomythiae exempla conspiciuntur. Nam ut mittam Lys. 213 sqq., ubi Lysistrata praeeunte Calonice jurat, ita ut semper eadem verba repetantur; ut praeterea mittam vv. 352—370, quos inter singulos utriusque chori choreutas distribuendos esse R. Arnoldtius (l. c. p. 80 sqq) luculenter demonstravit: restat acerrima hemichoriorum rixa vv. 371 sqq. ex singulis versibus et hemistichiis alternantibus constans, restat stichomythia inter Lysistratam et chorum mulierum instituta (vv. 706 sqq.), et haec suo loco posita, quum utraque maxima perturbatione animi commoveatur; restat denique colloquium illud inter Cinesiam et Myrrhinen institutum (vv. 904 sqq.), quo quam optime Cinesiae cupido et Myrrhinae aspernatio et brevissimis verbis et compluribus interpellationibus describitur. Neque Thesmophoriazusae stichomythiis suo loco positis

carent. Jam in initio fabulae Euripides et Mnesilochus quam maximis animi perturbationibus commoti, quum summa Euripidis res agatur, saepius vv. singulis vel hemistichiis alternantibus inter se colloquuntur (vv. 5 sqq; 9 sqq; 234 sqq.); postea ubi Euripides Menelai persona induta Helenam se agnoscere simulat, suo jure singulis vv. uterque utitur (vv. 902 sqq.); denique vv. 1001 sqq. Mnesilochus sagittarium singulis vv. vel hemistichiis orat atque obsecrat ut se dimittat, ita ut poëta recte stichomythia usus esse videatur. Qui vero inde a v. 1083 inveniuntur vv. inter Euripidem Mnesilochum sagittarium distributi, non efficiunt stichomythiam; nam non inter se colloquuntur personae, sed Euripides echo imitans omnia verba repetit. Etiam in Ecclesiazusis complures stichomythiae conspiciuntur, eaeque omnes suo loco positae: nam et suo jure vir et Chremes convicia sibi ingerentes hemistichiis alternantibus utuntur (vv. 771 sqq; 799 sqq; 860 sqq.), et colloquium inter anum et adolescentem tergiversantem institutum recte, ubi acrius animi perturbantur, singulis versibus vel hemistichiis alternantibus absolvitur (vv. 976 sqq; 985 sqq; 1023 sqq.). Maximus vero stichomythiarum numerus in Pluto invenitur, eaeque haud raro ita comparatae sunt, ut, cur stichomythia neque alia vv. responsione poëta usus sit, vix intellegas. Nam ut haud temere, ubi eandem sententiam compluribus exemplis allatis Carion et Chremylus confirmant (vv. 160 sqq; 170 sqq.; 187 sqq.), singulis vv. hemistichiis quadristichiis alternis poëtam usum esse concedam; ut brevissimis interrogationibus brevissima responsa recte opposita esse in diverbiis inter justum virum et Carionem aut sycophantam institutis (vv. 842 sqq. 898 sqq.) et quae inter Chremylum et anum et inter Chremylum et adolescentem habentur colloquia (1013 sqq; 1082 sqq.), denique ea quibus Carion et Mercurius inter se colloquuntur (vv. 1124 sqq. 1135 sqq.) recte stichomythiae legibus astricta esse concedam; ita haud dubie quae paupertas et Chremylus cum anu colloquitur (vv. 970 sqq.) non ita comparata sunt, ut stichomythia recte usurpata esse dici possit. Inde colligimus poëtam, quum in antiquioribus fabulis plus aliis responsionis generibus tribuerit, postea neglectis illis magis

artem simpliciorem, quae in stichomythiis cernitur, quaesivisse; eundem stichomythias in prioribus fabulis non nisi suo loco posuisse, in recentioribus, ut externam artem adhiberet, interdum sententiae vim fecisse. Id vero monendum est, ubi usum stichomythiae Aristophaneum cum Euripideo comparamus, poëtam comicum nunquam tantum spatii stichomythiis tribuisse, ut audientes nimio versuum alternantium numero fatiget. Nam quum Euripides in Jone centum quinque vv. singulos coniunxerit (vv. 264 sqq.) et triginta tres trimetros in bina hemistichia distribuerit (vv. 530 sqq.), Aristophanes vix plus viginti vv. singulos (Acharn. 1095 sqq.; Lysistr. 213 sqq.) secum conjunxit atque ubi latius extendendum esse colloquium videtur, longam vv. alternantium seriem compluribus vv. interrumpit (Acharn. 1114 sqq: Lysistr. 909 sqq; Plut. 968 cett.) In eo igitur Aristophanis ars cernitur, quod stichomythias fere semper apte atque suis locis usurpat.

Eadem ars in diversis stichomythiae generibus usurpandis conspicitur. Nam quae tria genera stichomythiae apud tragicos poëtas inveniuntur, disticha monosticha hemisticha [1]), haec etiam apud Aristophanem deprehenduntur, ita vero, ut in eorum quoque usu artis et excultae et neglectae vestigia conspiciantur. Primo monendum est in Pluto fabula quadristichae quoque (ut ita dicam) stichomythiae exemplum inveniri; nam inde a v. 190, ut alter alteri obstrepat, Carion et Chremylus singulis quadristichiis utuntur: sed hoc solum atque unicum exemplum est. Stichomythiae hemistichae, ut Nubium exempla, quae non accurate leges stichomythicas sequuntur, silentio transeam, in recentioribus Aristophanis fabulis saepius locum habent, praecipue in Lysistrata Thesmophoriazusis Ecclesiazusis Pluto, semper vero ita, ut majorem animi perturbationem ante oculos ponant. Ne longus sim, omnes qui huc pertinent locos adscribam: Lys. 909 sqq. 934 sqq. Thesmoph. 5 sqq. 9 sqq. 14 sqq. 1001 sqq. Eccl. 771 sqq. 799 sqq. 1023 sqq. Plut. 160 sqq. 842 sqq. 898 sqq. Stichomythia monosticha apud Aristophanem in omnibus fabulis quae stichomythiis non prorsus carent reperitur. Sed rarissimae sunt stichomythiae distichae quae dicuntur. Praeter Equites, in quibus rixa Paphlagonis et insiciarii a binis utriusque versibus exorditur (vv. 694 sqq.), fere nullum hujus stichomythiae exemplum invenitur; nam quae in Acharnensibus (vv. 303 sqq.) et in Lysistrata (vv. 354 sqq.) inveniuntur binorum versuum series, eas non inter duas, sed inter complures personas distributas esse Arnoldtio duce contendimus (cfr. p. 7 sq.). In Thesmophoriazusis Ecclesiazusis Pluto nulla certe binorum versuum alternantium series invenitur; neque temere accidisse putandum est, ut in eisdem fabulis minimum fere aequabilitatis studium conspiciatur. Nam quum singuli vv. et hemistichia alternantia magis sub oculos cadant quam reconditior illa binorum versuum responsio, haud dubie statuendum est, quo minores vv. complexus sibi respondeant, eo minorem artem adhibitam esse.

[1]) cfr. de trag. Graec. stichomythia p. 17.

Iam tertio loco inquirendum esse videtur, utrum recte apud Aristophanem procedat stichomythia an quibusdam locis turbetur et interrumpatur. Constat enim apud poëtas tragicos tam accurate observari leges stichomythicas, ut viri docti certas leges invenerint, quibus, quo loco neglecta stichomythia ferri posset, quo loco offenderet, decerneretur, ut apud Euripidem certe ex neglecta stichomythia caussam versuum ejiciendorum aut lacunarum statuendarum elicuerint; de qua re ne plura exponam, conferantur quaeso quae de trag. Graec. stichomythia p. 21 sqq. explicavi. Iam libere confitendum est apud Aristophanem has leges non observatas esse; sed in hac quoque re excultae atque imminutae artis vestigia conspiciuntur, ita ut poëta in antiquioribus fabulis sententiam magis curavisse, in recentioribus externam artem magis quaesivisse putandus sit. Quod ut ostendam, singuli loci, quibus stichomythia leges neglectae esse videntur, pauci tractandi sunt. In Acharnensibus quod attuli stichomythiae exemplum (vv. 1095 sqq.) ex singulis quidem versibus inter Dicaeopolidem et Lamachum distributis in universum constat, sed compluribus locis interrumpitur (vv. 1114 sqq. 1120 sqq. 1128 sqq.), semper vero ita, ut consulto stichomy-

thiam turbari intellegamus novo quasi colloquii exordio facto. In Equitibus quod inter insiciarium et Paphlagonem inde a v. 694 instituitur colloquium vv. 702—708 ita interrumpitur, ut Paphlagoni singuli, insiciario bini vv. tribuantur, deinde vero acerrima rixa singulis vv. colloquantur; et eodem modo colloquium, quod a v. 902 incipit, distichis (vv. 904—907) recte interrumpitur. Etiam in Lysistrata nonnullis locis stichomythia turbata est. In illa scena, in qua Calonice in Lysistratae verba jurat, consulto vv. utriusque singulos interrumpit poëta duobus vv. 215 sq., ut non nisi pavidam et trepidam Calonicem sacramentum illud horribile dicere intellegamus; neque minus recte in colloquio, quod inter Cinesiam et Myrrhinen instituitur, versibus 908 sqq. 920 sqq. 925 sqq. versus singuli interrumpuntur, ut semper novos praetextus quaerere Myrrhinen videamus, quibus coitum cum viro aspernetur. Fere nullae vero stichomythiarum interpellationes in ceteris fabulis inveniuntur, unde colligi potest poëtam in recentioribus fabulis artem externam accuratius observasse.

Deinde ubi quaesiverimus, quomodo stichomythiae cum eis quae praecedunt et quae sequuntur conjungantur, in prioribus fabulis majorem artem quam in recentioribus deprehendemus. Nam id quod apud poëtas tragicos saepissime usu venit, ut totidem utriusque personae versibus stichomythia aut introducatur aut concludatur, fere nonnisi in antiquioribus Aristophanis fabulis conspicitur. In Acharnensibus altera colloquii inter Dicaeopolidem et Lamachum instituti pars (vv. 1128—1131) binis utriusque versibus concluditur, atque haud scio an Müllerus verum viderit, qui, ut tertia quoque pars (1132—1143) binis versibus finiatur, Meinekium secutus ante v. 1142 unius Dicaepolidis versus lacunam statuit. In Equitibus post binos Paphlagonis et insiciarii vv. (694—701) stichomythia monosticha singulis Paphlagonis et binis insiciarii vv. bis repetitis introducitur (702—707). Lysistrata cum coryphaeo singulis vv. colloquitur, qui binis utriusque vv. (706—709) introducuntur. In Pluto singulos Carionis et Mercurii vv. (1148—1154) singula Mercurii hemistichia atque singuli vv. et singula hemistichia Carionis excipiunt (vv. 1155—1160). Saepissime vero stichomythiae compluribus alterius aut utriusque personae vv. introducuntur et finiuntur (Acharn. 1095 sq. Equit. 297 sqq. 694 sqq. Thesmoph. 5 sqq. 9 sqq. 904 sq. Eccl. 771 sq. Plut. 187 sqq.). Itaque paucis tantum locis, praecipue in antiquioribus fabulis, in stichomythiis introducendis et finiendis Aristophanes artem quandam adhibuit.

Aequabilis denique partium stichomythicarum dispositionis exemplum, quorum magnus apud poëtas tragicos numerus est [1], apud Aristophanem nullum invenitur. Et quamquam concedendum est hanc aequabilem stichomythiarum distributionem apud eum minus desiderari quam apud illos, qui saepe magnum singulorum vv. numerum inter se conjungunt, tamen non fallemur, ubi inde colligemus artem illorum ab Aristophanis arte aliquantum distare.

Haec fere habui de Aristophanis stichomythiis quae dicerem, atque quae inde de arte poëtae colligi possunt paucis complectar. Stichomythiis, simplicissimo responsionis genere, raro tantum utitur Aristophanes, ita ut paullo artificiosiora atque reconditiora responsionum genera in antiquioribus fabulis praetulisse, in recentioribus vero illis neglectis magis ad stichomythias revertisse videatur. In usurpanda vero stichomythia ejusque diversis generibus, in evitandis interpellationibus, in introducendis atque concludendis stichomythiis semper magis sententiam curavit quam externam concinnitatem, si excipias extremas fabulas, in quibus externa ars magis conspicitur. Ita in stichomythiis ejus artem a tragicis ingenti intervallo separatam esse atque quo magis processerit in vita et in comoediis scribendis, eo magis ejus artem paullatim imminutam esse videmus. Praecipue vero Thesmophoriazusae Ecclesiajusae Plutus artem poëtae maxime imminutam ostendunt, quum in antiquioribus fabulis magis ad poëtarum tragicorum usum accessisse videatur.

---

[1]) cfr. quae de trag. Graec. stichomythia p. 36 sqq. exposui.

II.

Iam, ut propositum erat, ad colloquii aequabilibus vicibus distributi exempla transeamus. Atque primum ei loci recensendi sunt, quibus pauci vv. parilibus numeris sibi respondent, quum fere in stichomythiae locum successisse videantur. Quae exempla quamvis parvi faciat Oerius (in annal. phil. vol. 101 p. 385), tamen sua arte non carent. Acharn. 618 sqq. ita inter Lamachum et Dicaeopolidem distributi sunt, ut singulos utriusque vv. bis terni excipiant — id quod Engerus et Oerius l. c. animadverterunt. Non temere factum esse videtur, quod in initio Equitum (vv. 6—9) servi vv. numeris 1½. ½. ½. 1½. inter se colloquuntur. Nec minus recte Oerius animadvertit (de resp. Arist. p. 17) Paphlagonem et insiciarium ternis vv. in scenae exordio (461—466) colloqui. In Vespis vv. 74—84 his numeris sibi respondere videntur: 1½, 1½; 1, 1; 1½, 1½; 2, 2; sed de his vv. quum neque codices neque editores consentiant, paucis agendum erit. In deterioribus codicibus vv. 74—82 uni Xanthiae continuantur, eosque Hamakerus sequitur, qui (Mnem. III p. 39 sq.) scholiastae testimonio (*χαριέστερον δὲ λέγεσθαι αὐτὰ συνεχῶς πρὸς ἑνὸς*) et ea praecipue caussa motus, quod Sosiam spectatorum partes suscipere non aptum sit, omnes vv. praeter v. 77, quem poëta indignum censet, Xanthiae tribuit. At vix fieri poterit, ut et interrogationes et responsa uni eidemque tribuamus; v. 77 vero recte explicari potest, ubi cum Bergkio et Meinekio ante eum unum Sosiae v. intercidisse statuimus. Ita numeri illi vv., quos modo attuli, efficiuntur. In eadem fabula vv. 156—167 ita inter Philocleonem et Xanthiam distributi sunt: 2; ½, 2½; 4 × 1; ½, 2½ — in quibus numeris artem quandam cerni vix negari poterit. In Pace colloquium inter Trygaeum et Mercurium institutum (361—384) his numeris absolvitur: 3 (3 × 1), 2 (½, 1½); 1 (2 × ½), 2 (½, 1½), 2 (½, 1½), 3 (1½, 1, ½), 2; 2 (½, 1½), 2 (½, 1½), 2, 3

— ubi quamvis non accurate numeri sibi respondeant, haud dubie ars quaedam conspicitur. Avium exordium (vv. 1—12) propius ad stichomythiae rationem accedit, quum bis singulos Euelpidis et Pisthetaeri vv. excipiant ter bini ter singuli vv. bis singula hemistichia. Ejusdem fabulae vv. 286—302 sic ordinati esse videntur: 1½, ½; 1, 1; 1½, 1½; 1½, 1½;

2 2 3 3

2, 4 × ½.

2

Quod deinde sequitur Terei cum choro colloquium (316—326) hos numeros habet:

T.	Ch.	T.	Ch.	T.	T.	Ch.	T.
2	1	2.	2	1		2.	

Vv. deinde 339—342 inter Euelpidem et Pisthetaerum numeris 1½. ½. ½. 1½. distributi sunt. Eidem vv. 667—674 de Procne his vv. numeris colloquuntur: 1½. 1½. 1. 1. 1. 2. In eadem fabula Pisthetaeri cum Iri colloquii exordium (1199—1210) propius ad stichomythiam accedens his numeris continetur: 3. 1. 1. ½. ½. ½. 1. 1. ½. ½. 1½. 1. Denique Avium vv. 1494—1510 inter Prometheum et Pisthetaerum sic distributi sunt: 1½. 1. 1. 1. ½; 1½, ½, ½, 1½; ½, ½, ½, ½. Lysistratae vv. 428—448 ita comparati sunt, ut primo probulo et Lysistratae bini vv. et singula hemistichia, denique utrique bini vv. tribuantur; quem locum quominus stichomythiis distichis attribuamus, impedit quod non inter se, sed cum sagittario colloquuntur, quum probulos eum Lysistratae manum injicere jubeat, illa vero vetet. Hujus colloquii finis vero (vv. 449—455) numeris 1. 2½. 2½. 1. continetur. Thesmophoriazusarum vv. 81—94 artificiose dispositos esse numeri docent: 3½. ½. 1. 2. 1½. ½. 1½. ½. 1. 2. Ejusdem fabulae vv. 213—217 numeros 1½. ½ + ½. ½ + ½. 1½, vv. 617—625 numeros ½, 1½, 1; ½, 1, 1½; ½ 1. 1. 1. ½; ½, ½ praebent, vv. 929—946 vero ita comparati sunt, ut septem vv. inter prytanin et tertiam mulierem

distributos ($5\frac{1}{2}$; $1\frac{1}{2}$) excipiant septem inter Mnesilochum et prytanin distributi ($3. \frac{1}{2}. 3\frac{1}{2}$), clausulam scenae bini Mnesilochi et prytanis vv. efficiant. Denique in ea scena, in qua Euripides echo imitatur, quam stichomythiis adscribi non posse supra vidimus (cf. p. 9), aequabilis vv. distributio conspicitur. Nam primum Mnesilochi verba ita repetit Euripides (1070 sqq.), ut hi numeri efficiantur: $1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}; \frac{1}{2}, \frac{1}{2}; 1, 1; 1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}; 1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}; \frac{1}{2}, \frac{1}{2}; 8 \times \frac{1}{4}$. Deinde cum sagittario et Mnesilocho his vv. numeris colloquitur: $4 \times \frac{1}{2}; 4 \times \frac{1}{4}; 2 \times \frac{1}{2}; 2 \times 1; 1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}; 3 \times (\frac{1}{2}, \frac{1}{2}), 1$. In Ranis, quas stichomythiis prorsus carere supra dixi (cfr. p. 8), nonnulli loci, quibus colloquia aequabilibus vicibus descripta sunt, inveniuntur. Sic vv. 479—493 his numeris inter Bacchum et Xanthiam distributi sunt: $\frac{1}{2}, \frac{1}{2}; 1\frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}; \frac{1}{4}, \frac{1}{4}; 1, 1\frac{1}{2}; \frac{1}{2}, 2; \frac{1}{2}, 2; \frac{1}{2}, 2, \frac{1}{2}$. Vv. vero 645—674, quibus Aeacus Bacchum et Xanthiam in vicem verberat, ita comparati sunt, ut singulis verberibus hi vv. numeri tribuantur: 1. 2. 4. 4. 2. 4. 2. 2. 4 + 2. Quod vv. 738—753 instituitur colloquium inter Aeacum et Xanthiam hos numeros habet: $1\frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}, 2; \frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}; 1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}; \frac{1}{2}, \frac{1}{2}; 1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}$ — in quibus artem quandam conspici primo obtutu unusquisque videt. In initio tertii episodii bis binos Euripidis bis singuli Bacchi vv. excipiunt (830—835); neque temere factum esse videtur, ut vv. 845—850 in ter binos vv. distributi sint. In Ecclesiazusis vv. 247—260 inter mulierem primam et Praxagoram distributi his numeris continentur: $2, \frac{1}{2}, 1, \frac{1}{2}; \frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}, 1, 1, 1, \frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}; 1\frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}$.

Neque minus vv. 760—770 artificiose dispositi esse videntur, quum hos numeros oculis praebeant: $\frac{1}{4}, \frac{1}{4}, 1; \frac{1}{4}, \frac{1}{4}, 1; \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, 1; \frac{1}{2}, 1, \frac{1}{2}, 1; \frac{1}{2}, \frac{1}{2}; \frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}$. Denique vv. 1074—1088 inter mulierem alteram mulierem tertiam puellam his numeris distributi sunt: $\frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, 1; 1, 1, 2; 1, 1, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, 1, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}$. Pluti vv. 359 sqq. Chremylus et Blepsidemus ita inter se colloquuntur, ut bis utriusque vv. ter singulos bini Blepsidemi vv. excipiant (1, 1, 1, 2; 1, 1, 1, 2); nam interjectionem illam φεῦ (v. 362)

extra versum positam esse nemo est qui nesciat. Vv. vero 391—398 ita comparati sunt, ut post Chremyli versum primus v. ter, alter sexies, tertius bis, quartus ter, quintus bis inter Chremylum et Blepsidemum distribuatur, clausulam vero singuli utriusque vv. efficiant: in quibus numeris responsionis quandam rationem ad stichomythiam propius accedentem facili negotio cognoscas. Paupertas cum Chremylo initio binis, deinde singulis vv. colloquitur (429—438); eidem vv. 517—521 his numeris utuntur: $1\frac{1}{2}. \frac{1}{2}. \frac{1}{2}. 1. 1\frac{1}{2}$. Justi viri denique cum sycophanta colloquium (909—925) his numeris absolvitur: $2, 2, 1, 2; 1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}, \frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}; 2\frac{1}{2}; 1\frac{1}{2}, \frac{1}{2}, 1\frac{1}{2}$. Haec sunt omnia quod sciam responsionis exempla, quae parvum vv. numerum complectuntur atque ad stichomythiae rationem propius accedunt. Quae quum in omnibus fere fabulis inveniantur neque magna arte elaborata sint, offendit quod nulla hujus generis exempla in Nubibus invenimus; neque hoc aliter explicari posse contenderim, quam ut contaminatis duabus Nubium recensionibus hujus responsionis vestigia quae exstiterint evanuisse censeamus. De qua re postea saepius dicendum erit.

Iam transeamus ad majores vv. complexus artificiose dispositos, primum ad eos, qui cum partibus fabularum lyricis conjuncti sunt. Acharnensium parodum aequabilibus vicibus descriptam esse primus Oerius (in annal. phil. vol. 101 p. 386) demonstravit, nec mihi dubium esse videtur, quin praeter vv. 302—334 etiam vv. 284—301 qui praecedunt et vv. 335—346 qui sequuntur huic responsioni astricti sint. Sed priusquam de totius scenae numeris agamus, pauca de distributione vv. atque de nonnullis locis qui dubitationem moverunt praemittenda esse videntur. Primum Arnoldtius (die Chorpartieen des Arist. pp. S. 38—43) luculenter demonstravit eos vv. qui choro tributi sunt neque a choro cantatos neque a coryphaeo dictos, sed a choreutis omnibus deinceps recitatos esse. Deinde nonnulli viri docti dubitaverunt, utrum recte ordo vv. nobis traditus an quibusdam locis mutatus sit; denique quae recte v. 318 legantur, haudquaquam certum est. Atque ut ab hoc versu exordiar, quae in libris leguntur ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν κεφαλὴν

ἔχων λέγειν, quum aperte metro repugnent, ferri quidem non possunt. Sed injuria Hamakerus (Mnem. II 14) totum versum expunxit, cui, ut aequabilitas servetur, comitem dedit v. 316 nulla fere caussa motus. Quodsi Ahrensii conjecturam jam in mus. rhen. 1843 p. 365 prolatam τὴν κεβλὴν recipere nolueris, nihil restat quam ut in Hansingii et Meinekii (vind. Arist. p. 7 sq.) conjectura τήνδε κεφαλὴν σχῶν λέγειν acquiescas; nam quod Meinekius (com. Gr. III 584) tentaverat, ut ex v. 356 peteret πάνθ᾽ ὅσ᾽ ἂν λέγω λέγειν, veri vix simile est. Quod vero W. Brambachius (in mus. rhen. vol. XXI p. 149—152) in sententia ita offendit, ut vv. 315—318 Dicaeopolidi tributos ante v. 303 transponendos esse existimaret, non recte egit; nam vv. 315 sqq. cum eis qui praecedunt optime conjunguntur. Suo jure vero in vv. 324 sq. haeserunt viri docti; nam omnino intellegi non potest, quomodo verbis chori ἐξολοίμην, ἢν ἀκούσω Dicaeopolis respondere possit: μηδαμῶς, ὠχαρνικοί. Hac caussa Hamakerus motus est, ut post v. 324 priorem partem alteram v. 325 partem et totum v. 326 poneret, quos prior v. 325, altera v. 324 pars, totus v. 327 exciperent; sed ferri omnino non potest, ut vv. 326 et 327, qui arctissime inter se cohaerent, divellantur. Ribbeckius in sua editione priorem v. 325 partem in prioris v. 324 hemistichii locum substituit et vice versa; sed ut ei concedam verbis ὡς τεθνήξων ἴσθι νυνί optime responderi μηδαμῶς ὠχαρνικοί, ita concedere non possum recte se excipere chori minas: οὐκ ἀκουσόμεσθα δῆτα, ὡς τεθνήξων ἴσθι νυνί, ἐξολοίμην ἢν ἀκούσω, quum gravissima non alterum, sed tertium locum occupet oporteat. Inde collegi ita facillime locum emendari posse:

X. οὐκ ἀκουσόμεσθα δῆτα. Δ. δεινὰ τἄρα πείσομαι.
X. ἐξολοίμην, ἢν ἀκούσω. Δ. δήξομἄρ᾽ ὑμᾶς ἐγώ (326b).
X. ως τεθνήξων ἴσθι νυνί. Δ. μηδαμῶς, ὠχαρνικοί.
(325b).

Ita evitari potest, quod Arnoldtius (l. c. p. 37 sqq.) proposuit, ut altera v. 324 pars singulo choreutae tribuatur; quod ubi receperimus, aequabilitas illa diverbii misere turbata erit. Quae si recte disputata sunt, hos numeros habent vv. 284—346:

$3 \times 1, 3;\ 3 \times 1, 3;\ 5 \times (2, 2);\ \underbrace{6 \times (1/2,\ 1/2)}_{3}, 2;\ 3, 2, 2;$

$3 \times 1, 3;\ 3 \times 1, 3.$

Praeterea in exodo hujus fabulae Dicaeopolidis cum Lamacho colloquium, quod cum lyricis partibus conjunctum est (1190—1227), his numeris continetur: 12 (6, 6), 2; 2 (4 × 1/2), 4; 12 (3 × (2, 2), 2. Nam v. 1204 recte ante v. 1203 transposuit et Dicaeopolidi tribuit Bergkius; quem ubi sequemur, non necesse erit cum Hotibio Bothio Meinekio ante v. 1206 lacunam statuere, cujus in sententia nullum inest vestigium. In Equitum parodo vv. 247—283 inter chorum Paphlagonem insiciarium servum primum (Demosthenem) distributos primus H. Sauppius (in epist. crit. p. 116) lacuna post v. 274 statuta his numeris contineri demonstravit: 8, 3; 8, 3; 4; 1, 2, 1, 2; 2, 2, 2. Quem quum secuti sint Engerus Helbigius Oerius, nuperrime Arnoldtius (l. c. p. 45) paullo aliam rationem iniit v. 274 non choro, sed insiciario tribuens; cui mutationi non solum favet, quod ea recepta lacuna supersedere possumus, sed etiam, quod illa verba aptius insiciario tribuuntur. Quae si recte disputata sunt, hi sunt hujus colloquii numeri: 8, 3; 8, 3; 4; $\underbrace{1, 1, 1}_{3}$; $\underbrace{4 \times 2}_{8}$, in quibus monendum est non sine arte quadam numeros in initio positos sub finem inverso ordine repeti. In Nubium parodo qui inter chori stropham et antistropham intercedunt Socratis et Strepsiadis vv. (291—298) numeros 2. 3. 2. habent, ita ut tota parodus numeris $\underbrace{13.\ \underbrace{2.\ 3.\ 2.}\ 13.}$ contineatur: quod, quamvis in eo magna ars non cernatur, tamen notandum esse videtur, quum fere solum atque unicum hujus responsionis in Nubibus exemplum sit. In Vespis vv. 333—388, qui partim ex metris lyricis, partim ex tetrametris anapaestiacis inter Philocleonem et singulos choreutas[1] distributis constant, hanc responsionem praebent, quam etiam Oerius adnotavit: 3, 3 × 2, 7, 5 × 2, 7; 3, 3 × 2, 7, 5 × 2.

[1]) Vv. qui in libris choro tribuantur inter singulos choreutas distribuendos esse ostendit Arnoldtius l. c. p. 7 sqq.

In Pace vv. 114—149 inter Trygaeum ejusque filias distributi his numeris continentur: 5, 5; 2, 1, 2; 2, 2, 2; 2, 3, 2; 2, 1, 1, 3. Obiter monendum est hos vv. παραχορηγήματος quod dicitur loco habendos, i. e. a singulis chori cujusdam secundi choreutis recitatos esse; neque C. O. Müllero (in mus. rhen. vol. V p. 343) concedendum est eos a choreutis quibusdam chori principalis post scenam cantatos esse, neque cum Arnoldtio (l. c. p. 168) eos uni eidemque personae tribuerim. Mihi non dubium est, quin recte Richterus (in prol. Pac. p. 41) et Muffius (l. c. p. 111) hos vv. inter septem filias, quae ad secundum chorum pertineant, distribuerint. In ejusdem fabulae parodo vv. 301—345 inter Trygaeum et sex primos choreutas (ut Arnoldtius l. c. p. 60 sqq. statuit) distributos his numeris contineri Oerius (in annal. phil. vol. 101 p. 388) ostendit[1]): 8; 2, 2; 5 (3, 2); 8 (2 × (2, 2); 8 (2 × (1, 1/2, 1/2, 1, 1)); 5 (3 + 2); syst.. In Avium parodo vv. 352—385 inter Euelpidem Pisthetaerum singulos choreutas[2]) Tereum distributi hos numeros praebent, si Oerio (l. c. p. 389) credimus:

Ch. E. P.; Ch. T.; Ch. T.; Ch. P. T.
2 10 | 2 3 | 2, 2, 2, 6 | 2, 1, 1, 1
12 | 5 | 12 | 5

Quos vv. quominus primo episodio adscribamus, impediunt metra lyrica usque ad v. 450 continuata, impedit responsio vv. 451—625, de qua postea dicendum erit. Cfr. Köchly, die Vögel des Aristophanes (Zürich 1851), S. 9. In eadem parodo in vv. 416—434 haec responsio numerorum inveniri potest: 5, 5; 1, 1; 1, 2, 3. Lysistratae vv. 350—386,
(1, 2 = 3)
qui parodi clausulam efficiunt, aequabilibus vicibus descriptos esse Oerius l. c. p. 388) ostendit. In libris hi vv. omnes inter duo hemichoria distributi sunt; sed haud dubie Arnoldtius recte statuit (l. c. p. 80 sqq.) inde a v. 371 demum utriusque chori coryphaeas inter se rixari, eos vero qui praece-

[1]) Oerius quidem vv. 296—345 responsioni astrictos esse contendit, sed patet parodum inde a v. 301 demum exordiri.

[2]) Cfr. Arnoldtium l. c. p. 70 sqq.

dant vv. inter senos utriusque chori choreutas distribuendos esse. Quem ubi sequemur, numeri quos attulit Oerius paullulum immutantur atque hic vv. ordo est: 3 × (2, 2); 2; 2 × (1, 1); 2, 1; 2 × 1; 2 × (1, 1, 1/2, 1/2); 3 × (1/2, 1/2); 4 × 1. Ejusdem fabulae primum stasimum (vv. 781—828) ita comparatum est, ut non solum metra lyrica, sed etiam numeri vv., qui singulis personis tribuuntur, accurate sibi respondeant; hi enim hujus numeri sunt: 12, 4 × 1, 4; 12, 4 × 1, 4. Ejusdem fabulae vv. 614—705, quos R. Westphalius (Prolegomena zu Aeschylus Tragödien S. 48) injuria pro parabasi habuit, si Arnoldtio (l. c. p. 91 sqq.) credis, inter duodenos utriusque chori choreutas ita distributi sunt, ut non solum metra, sed etiam numeri vv. sibi respondeant; hos enim eo duce vv. numeros statuemus: 2, 3, 5, 4, 4, 2; 2, 3, 5, 4, 4, 2; 3, 2, 3, 4, 4, 2; 3, 2, 3, 4, 4, 2. Ejusdem fabulae vv. 1013—1042, quos Muffius (l. c. p. 54), ni fallor, recte ab utroque choro cordacem saltante cantatos esse contendit, his numeris continentur, si Oerium (l. c. p. 387) sequeris: 2, 2; 2, 3, 2, 3; 3, 3; 2, 2; 3, 3 — nam ante v. 1018 unum excidisse versum ei haud dubie concedendum est. Thesmophoriazusarum vv. 101—129, quorum partes choro tributas a choro musarum post scenam cantatas esse atque ideo recte παρασκήνιον nominari Arnoldtius (l. c. p. 171) ostendit, his numeris contineri videntur: 3; 3, 3; 4, 3, 4 3; 3, 3 + 4; nam ante v. 115 nonnulla excidisse recte Engerus (in sua editione) statuit. In Ranis colloquia cum partibus lyricis conjuncta, quae responsioni astricta sint, non inveniuntur. Ecclesiazusarum vero vv. 938—976, qui maximam partem metris lyricis continentur, hos numeros praebent: 4. 4 + 1. 2. 3 + 11. 11. 4. 4. Pluti vv. 290—321
(1. 2. = 3)
lyrici numeris 6. 6. 7. 7. 6. continentur.

Iam accedendum est ad aequabilem dispositionem eorum colloquiorum, quae cum partibus lyricis non conjuncta sunt. Ac primum Equitum vv. 333—366 inter Paphlagonem insiciarium chori coryphaeum distributos his numeris contineri Oerius contendit:

Ch. I. P. P. I. I. P. I. Ch. P. I.
9 9 2 6 (3, 3) 2 6 (3 × (1, 1))

Primo monendum est numero quidem versus sibi respondere, sed eos non aequabilibus vicibus inter personas distributos esse. Deinde Oerius recte fecisse mihi videtur, quod, quum in dissertatione sua (p. 6) cum Dindorfio (ed. Oxon. III p. 254) v. 339 expunxerit et, ut servaret aequabilitatem, ante v. 337 unum versum excidisse statuerit, postea (in annal. phil. vol. 101 p. 357) utrumque retractavit; nam et arctissime v. 337 cum eo qui praecedit coniunctum esse docent verba *κἀκ πονηρῶν*, neque in v. 339 quidquam inest, in quo jure offendamus. Ejusdem fabulae vv. 407—440 Oerius (l. c. p. 381) ita comparatos esse ostendit, ut post duos coryphaei versus ter bini Paphlagoni, quaterni insiciario tribuantur, deinde post duos coryphaei versus bis seni vv. inter Paphlagonem insiciarium servum priorem (Demosthenem) distribuantur. En habes igitur hujus scenae numeros:

2. 6 (2. 4) 6. (2. 4) 6 (2. 4). 2. 6. (3. 2. 1.) 6. (1½. 1½. 1. 1. 1.)

In ejusdem fabulae vv. 1232—1252 primo quatuor, deinde bis binos, denique quatuor vv. Paphlagonis singuli insiciarii vv. excipiunt; quinque postremo Paphlagonis vv. agmen claudunt[1]). (4. 1. 2. 1. 2. 1. 4. 1. 5.) In Vesparum versibus 648 — 724 Oerius (annal. philol. 101 p. 386) hanc responsionem invenisse sibi visus est:

Ch. Bd. Ph. Bd. Ph. Bd. Ph. Bd. Ph. Bd.
2 14 2 14 2 14 2 14 2 4 + 6.

Sed primum nos offendit, quod Philocleonis interpellationem (652—654) et Bdelycleonis interpellationem (665) fere minimi fecit; deinde, ut hanc responsionem evinceret, v. 712 ex poëtae verbis expellere coactus est, quem ne Hamakerus quidem, sagacissimus ille interpolationum indagator, pro spurio habuit. Quas vero illic et in dissertatione sua (p. 10) affert causas, eas vereor ut cuiquam persuadeat: in voce *ἐλαολόγοι*, quam hic solum inveniri vere dicit, nemo jure haerebit, neque tam apta est clausula v. 711, ut altera eum sequi omnino non possit. Quare facere non possumus, quin

[1]) nam *εἶεν* (v. 1238) extra versum positum est.

hunc locum nullum praebere responsionis exemplum contendamus. Pacis ea pars, in qua Trygaeus et coryphaeus eos qui belli cupidi sunt exsecrantur (vv. 435—454) haud dubie aequabilibus numeris descripta est; sed de distributione versuum adhuc dubitatur. Si Bergkii Meinekii plerorumque recentiorum editorum distributionem sequimur, post quattuor Trygaei duos chori vv. quater terni vv. utrique tribuuntur, clausulam vero singuli utriusque vv. efficiunt. Mihi vero magis probatur Dobraei ratio, quam Richterus in sua editione secutus est, ut exsecrationes semper Trygaeus incipiat, chorus finiat; quae si recte se habet, hi sunt vv. numeri: 4. 2. 1. 2. 2. 1. **2.** 1. **2.** 1. 1. 1. Oerius vero quum in dissertatione sua (p. 18) non sine arte quadam quater ternos vv. (441—452) repetitos esse contendisset, postea nescio qua caussa motus ab hac responsione commemoranda recessit. Sed idem vv. 601—650 (in annal. phil. vol. 101 p. 388 sq.) his numeris contineri ostendit: 2, 3 + 9; 2, 2; 9 + 7½, 1½, 1 (9) — in quibus haud dubie ars quaedam conspicitur, quamvis sub finem scenae vv. paulo aliter atque antea inter personas distributi sint. In Lysistratae prologo ei vv. qui sacramentum praecedunt idque fere praeparant (195 — 211) haud dubie artificiose compositi sunt, quum primo tres Myrrhinae, deinde tres Lysistratae vv. quater singuli vv. inter quattuor mulieres distributi excipiant, scena vero tribus Lysistratae vv. finiatur; nam v. 211 jam sacramentum incipit. Quam numerorum aequabilitatem Oerius in dissertatione (p. 18) commemoravit, postea vero nihili duxisse videtur. Ejusdem fabulae vv. 608—613 pari numero ternorum vv. inter probulum et Lysistratam distributos esse Oerius (l. c. p. 24) ostendit. Quod vv. 706—727 undecim vv. inter Lysistratam chori muliebris coryphaeam distributos totidem Lysistratae excipiunt, id temere factum esse vix credideris. Fortasse denique in ea scena qua Cinesias cum Myrrhina coire cupit, illa vero praetextus quaerit et tergiversatur (vv. 916—951), aequabilis vv. distributio conspicitur. Nam primo Myrrhine lectulum affert (916—921); deinde stragulum quaerit, quod ille aspernatur (922 — 926); tum cervical allatura abit

(927—932; tum pellem apportat (933—937): tum unguentis eum oblinit (938 — 943); denique eum jacentem deserit (944—951). Quae si recte se habent, hi sunt hujus scenae numeri: 6. 5. 6. 5. 6. 8. Thesmophoriazusarum vv. 582—591 ita comparatos esse, ut binos coryphaei et Callisthenis vv. excipiant bis singuli coryphaei et bini Callisthenis, Oerius in dissertatione sua (p. 17) animadvertit, sed postea ab hac responsione recessisse videtur, quum in tabula illa responsionum (nov. animadv. p. 32) eam nihil curet. Mihi non dubium est, quin recte Engerum (ad v. 586) secuti latius hanc responsionem extendamus atque hos vv. 574—602 numeros esse statuamus: 8. 2. 2. 1. 2. 1. 2. 3. 2. 6 [1]). In eadem fa-
3 3 8
bula vv. 846—857 artificiose compositos esse, quum primo bis ternos vv. Mnesilochus loquatur, deinde terni tertiae mulieri et Mnesilocho tribuantur, Oerius ipse animadvertit (nov. animadv. p. 32). Episodii quarti initium (vv. 1001—1014) ita comparatum est, ut septem vv. inter sagittarium et Mnesilochum distributos septem Mnesilochi vv. excipiant. Ranarum vv. 830—874 constant ex sex vv. inter Euripidem et Bacchum distributis (830—835), novem Euripidis Aeschyli Bacchi (836 — 844), ter binis sive sex Aeschyli et Bacchi (845—850), novem Bacchi (851—859), sex Euripidis et Bacchi (860 — 865), novem denique Aeschyli et Bacchi versibus (866 — 874). Hi igitur hujus scenae numeri sunt: 6. 9. 6. 9. 6. 9. In Ecclesiazusis et Pluto praeter ea quae jam antea (p. 21) attulimus exempla nulla colloquiorum artificiose dispositorum vestigia conspiciuntur.

Iam ubi omnia colloquiorum responsionis exempla enumeravimus, restat ut singularum fabularum scenas artificiose dispositas cum eis quae responsioni non astrictae sunt comparemus et inde poëtae artem aut excultam aut imminutam esse colligamus. In Acharnensium prologo episodio altero tertio quarto non inveniuntur loci aequabilibus vicibus

[1]) Nam v. 576, quem Cobetus expunxit, quamvis eum sequatur Meinekius, recte servari contenderim.

distributi, in primo episodio nil nisi finis (vv. 617—625) artificiose dispositum est, denique parodus et exodus fere totae aequabiles numeros praebent. In Equitibus prologus praeter paucos vv. (6—9), alterum episodium fere totum, tertium praeter finem (1252—1262), exodus colloquiis artificiose dispositis prorsus carent, sed parodus et primum episodium talibus responsionibus abundant. In Vesparum prologo et primo episodio nonnulla aequabilis dispositionis exempla exstant, parodus atque episodium alterum et tertium eis carent. In Nubibus praeter parodum ipsam exemplum responsionis nullum invenitur. In Pace parodus et primum episodium nonnulla colloquia artificiose disposita habent, prologus alterum episodium exodus eis carent. In Avibus et Lysistrata magnus numerus responsionum invenitur: Avium prologus, parodus, episodium primum et tertium, exodus colloquia aequabilibus vicibus distributa habent, Lysistratae prologus, parodus, episodium primum alterum tertium, ita ut Avium alterum episodium, Lysistratae quartum episodium et exodus sola nullos habeant locos responsioni astrictos. Thesmophoriazusarum partes omnes praeter exodum exempla responsionis praebent; in Ranis vero Ecclesiazusis Pluto pauca tantum exempla insunt eaque paucos tantum vv. complectuntur, ita ut de reconditiore quadam responsionis arte in his fabulis cogitari omnino non possit. Inde colligimus per gradus quosdam quasi ascendisse poëtae artem, ita ut in Avibus et Lysistrata magis quam in antiquioribus fabulis numerorum concinnitati studuerit, deinde vero eam imminutam esse neque poëtam in recentissimis fabulis plus quam externam quandam concinnitatem, quae facile sub oculos cadit, quaesivisse. In Nubibus vero fere minima ars cernitur, quod mirari non possumus, quum haud dubie non ea fabula quae primo docta est, sed retractatio quaedam non finita atque ex utraque recensione mixta et contaminata nobis tradita sit. [1]) Eum vero fabularum ordinem quem Oerius (annal. phil. vol. 101 p. 383)

[1]) cfr. quae exposui de Nubium fabula ab Aristophane retractata p. 17 sq.

statuit paullo diversum esse nemo mirabitur, qui consideraverit eum ex totarum scenarum responsione judicium tulisse: de qua in tertia parte nonnulla dicemus.

De orationibus artificiose dispositis pauca addenda esse videntur: quarum numerus quamvis aliquanto minor sit apud Aristophanem quam apud poëtas tragicos, tamen in eis quaedam artis vestigia deprehendemus. In Acharnensibus Dicaeopolidis orationis, quae a v. 247 incipit, initium ex bis senis vv. constare Oerius (annal. philol. 101 p. 384) animadvertit; sequuntur quatuor vv. Xanthiae servo dicti, quos carmen in Phalli honorem cantatum excipit (6. 6. 2. 2. 17.)

16

Equitum vv. 40—57 ex tribus senorum vv. strophis constare idem dixit (in dissert. p. 23; nov. animadv. p. 21); sed neque intellegitur, quomodo vv. 51 sq. inter se discerni possint, neque recte pars quaedam orationis sola responsioni astricta esse potest. Haud dubie haec oratio ita composita est, ut primo Demosthenes dominum novum servum emisse narret (40—45), deinde exponat, quomodo hic servus dominum aduletur (46—57), denique quae mala ceteris servis perpetienda sint (58—72): sed numeri harum partium (6. 12. 15) nullam fere artem prae se ferunt. Insiciarii orationem (624—682) his numeris contineri Oerius (l. c. p. 384) ostendit: 8. 8. 6. 6. 6. 6. 6. 6. 7; quum vero ultimam partem deleto v. 679 antecedentibus exaequare voluerit, ipse confiteri coactus est in versu ipso nihil inesse, in quo jure offendamus. In Vespis jam Ribbeckius (in nov. mus. Helvet. vol. I p. 237) in Xanthiae orationibus (56—73. 85—108) responsionis quaedam vestigia detexit. Locum ubi accuratius inspexerimus, inveniemus priorem Xanthiae orationem ex duabus denorum vv. partibus constare, in quarum priore, qui joci spectatoribus non exspectandi sint (54—63), in altera vero rem quae in hac ipsa fabula agatur (64—73) exponit, priorem vero partem numeris 4. 6, alteram numeris 3. 4. 3. contineri. Altera vero Xanthiae oratio (83—135) post duos vv., qui ad colloquium quod praecedit pertinent, primo decies ternis vv. de morbo Bdelycleonis philheliastico

(85—114), deinde post unum versum interjectum (115) de remediis Philocleonis viginti vv. agit, quorum numeri 6. 4. 6. 4. (2. 2) sunt. Vv. 85—114 ex decem ternorum vv. strophis constare etiam Oerius (in dissert. p. 23; nov. animadv. p. 25) animadvertit. In Lysistrata probuli oratio (387—398) ter quaternos vv. habet (cfr. Oer. nov. animadv. p. 30). Altera probuli oratio (403—430) post quatuor vv., quibus chori quatuor vv. (399—402) respondet, unumque v. quo ad alteram rem transit numeris 6. 6. 4. 4. continetur; clausulam vero duo vv. et hemistichium efficiunt, quibus eodem vv. numero Lysistrata respondet (428—430). In Thesmophoriazusarum prologo Mnesilochi oratio (279—294) ita comparata est, ut post hemistichium, quo servam alloquitur, ter binos vv. ter terni excipiant; v. 294 vero, quo nihil cogitari posse jejunius Meinekius (vind. Arist. p. 151) contendit, quominus pro spurio habeamus, impedit quod fere necessarius esse videtur, quum eo cur abire serva jubeatur exponatur. In eadem fabula primae mulieris oratio (383—432) artificiose disposita est: nam post sex versuum exordium totidem vv. exponit, quibus criminibus mulieres ab Euripide obrutae sint (389—394), deinde quindecim vv. (3. 9. 3), quam suspiciosi jam viri sint (395—409), deinde quatuordecim vv. (4. 4. 6.) alia quae per Euripidem nactae sint incommoda enumerat (410—423), denique novem vv. ($4^1/_2$. $4^1/_2$) aliis allatis opprobriis socias Euripidi perniciem moliri jubet (424—432). En habes hujus orationis numeros: 6. 6. 3. 9. 3. 4. 4. 6. 9. ($4^1/_2$. $4^1/_2$). Alterius mulieris oratio (443—458), si Oerio (nov. animadv. p. 32) credis, his numeris continetur: 3. 3. 4. 4. 2. Denique Mnesilochi oratio (467—519) artificiose disposita est; nam post quinque versuum exordium quinque vv. meritis opprobriis mulieres ab Euripide morderi ostendit (471—485), deinde quid ipse commiserit, quindecim vv. exponit (476—490), tum alia multa mulierum vitia commemorat undecim vv. (491—501); denique quindecim vv. alterius cujusdam mulieris scelera enumerat (502—516); clausula vero tribus vv. efficitur. Numeri hujus orationis igitur hi sunt: 5. 5. 15. 11. 15. 3. Oerius

vero, ut bis quinos vv. duas ter quinorum vv. strophas excipere ostendat, vv. 491—501 postea adjectos esse statuit, fortasse a poëta ipso in altera recensione (ann. phil. vol. 101 p. 384); sed nullam aliam caussam invenire potuit, nisi quod v. 502 arcte cum v. 490 cohaerere videatur atque quod ἑτέραν γυναῖκα non multis mulieribus, quae antea recensentur, opponi possit, sed uni tantum Mnesilocho ipsi. Sed etiam v. 491 cum eo qui praecedit arcte cohaeret atque ἑτέραν γυναῖκα recte verbis ἡ γυνὴ δεικνῦσα (v. 499) opponitur. In Ranis una tantum eaque brevis oratio aequabilibus numeris continetur (851—859); nam post unum v. qui ad colloquium quod praecedit referendus est, Bacchus quaternis vv. ad Euripidem atque ad Aeschylum se convertit. Neque Ecclesiazusae orationibus artificiose dispositis carent: nam Praxagorae prima oratio (169—188) numeris 4. 3. 4. 3. 6. continetur, altera (192—203) post hemistichium, quo primam mulierem alloquitur, numeris 2. 2. 2. 2. 3, Blepyrus vero (357—371) primo sex vv. quibus miseriis crucietur exponit, deinde totidem vv. quem auxilio arcessat quaerit, denique tribus vv. Eilythiam, ut se adjuvet, implorat. In Chremetis oratione (408—421) bis terni vv. bis quaternis includuntur; quae vero vir (730—745) loquitur, ex quatuor quaternorum vv. strophis constant. In Pluto ea Carionis oratio, qua fabula ipsa incipit, ex tribus septenorum vv. partibus constat, in quarum prima servus dominum suum dementem esse queritur (1—7), in altera Apollini, quod oraculo dominum suum virum caecum sequi jusserit, exprobrat (8—14), in tertia dominum ipsum alloquitur (15—21). Pluti vero oratio (234—244) numeris 3. 5. 3. continetur.

Hae sunt omnes quod sciam orationes artificiose dispositae: quas ubi cum eis quae responsioni non astrictae sunt comparaverimus, eundem fere fabularum ordinem quem antea statuemus. Quod in Nubibus nulla oratio aequabilibus vicibus descripta invenitur, haud mirandum est; quod vero etiam Pax et Aves eis carent, inde explicatur, quod in his fabulis partes lyricae praevalent atque nullae longiores orationes inveniuntur.

Jam quoniam omnes locos quibus minores vv. complexus

sibi respondent enumeravimus, id restat inquirendum, num hanc respondendi aequabilitatem aliquo modo spectatores perceperint. Quod si quis non magni momenti esse crediderit, vehementer falletur. Nam vix inducimur ut poëtam in parili vv. numero lusisse tantum putemus, hanc artem vero a nullo nisi a viris doctis qui hoc nostro saeculo in responsionem inquisiverunt perspectam atque perceptam esse. Equidem non dubito eo audaciae procedere, ut viros doctos non satis responsionem numerorum ostendisse contendam, nisi hanc responsionem a spectatoribus quoque intellectam esse ostenderint: quamvis haud ignorem hoc a permultis viris doctis omissum atque nihili ductum esse. Jam G. Hermannus id senserat, quum (elem. doctr. metr. p. 723) moneret chori diversis stationibus locisque quos actores in scena occupabant vel aliquamdiu obtinebant factum esse, ut aequabilitas illa oculis quoque cerneretur. In hac re Oerius ei assentitur, qui (l. c. p, 383) inde quod in Ecclesiazusis et Pluto chori fere minima ratio habita est, excusat perpauca tantum responsionis exempla in his fabulis inveniri. Sed ut concedam his stationibus diversis in diverbiis aliquid effici potuisse, ita ostendi non potest totam illam externam concinnitatem, modo simpliciorem modo reconditiorem, illis subjici oculis potuisse; ita negandum est orationum partes aequabiles his stationibus ostendi potuisse. Quare nihil restare videtur nisi ut hanc numerorum aequabilitatem cum arte musica quodammodo conjunctam esse putemus. Atque cum duobus veterum scriptorum testimoniis (Luc. de salt. 27; Plut. de mus. 28) nobis tradatur tragicorum trimetris artem musicam adfuisse, suo jure Hirzelius [1]) et alii chordarum vel tibiarum sono partes illas aequabiles apud poëtas tragicos distinctas fuisse contenderunt. Sed hanc artem musicam etiam diverbiis poëtae comici adscribere fere omnes viri docti dubitaverunt: comoediae nil nisi ψιλὴν λέξιν quae dicitur aptum fuisse post Rossbachium et Westphalium (in metr. graec. III p. 184) Oerius (l. c. p. 355) Muffius (l. c. p. 34) alii contendenderunt, atque Christius ipse, peritissimus ille doctrinae

[1]) de Euripidis in diverbiis componendis arte, p. 91.

metricae vir, in prima thesi quam conventui philologorum Wiesbadensi proposuit expressis verbis dicit neque de arte musica neque de stationibus quibusdam actorum, quibus aequabiles illae partes distinctae fuerint, cogitari posse. Attamen quum vix credibile sit aures Graecorum multo aptiores fuisse ad majorum vv. complexuum aequabilitatem sentiendam, fieri non poterit, quin arte musica in discernendis his paribus numeris eas adjutas esse putemus; atque in hac quaestione lubrica gaudemus Ribbeckio assentiente, qui (l. c. p. 216) valde dubium esse praedicavit, an vere comoedia in sola ψιλῇ λέξει acquieverit.

III.

Tertio loco de symmetria quae dicitur constructiva agere nobis proposueramus, qua totae scenae vel scenarum partes sibi respondere putantur. Quam quum nonnullis locis G. Hermannus et W. Helbigius (ll. cc.) repperissent, omnes Aristophanis fabulas Oerius perscrutatus atque certe in primis novem fabulis permulta responsionis exempla invenisse sibi visus est. Sed ubi haec exempla accuratius inspexerimus, inveniemus virum doctum saepe nonnisi vi quadam aequabilem illam dispositionem effecisse. Nam primo multis locis, ut responsionem illam ostenderet, aut lacunas statuit aut versus quosdam in suspicionem vocavit, non sententiae ratione habita, sed unius aequabilitatis. Deinde interdum partes non recte inter se discrevit, ut numeri pariles efficerentur. Deinde plus semel prioris episodii aliquam partem parti alicui alterius episodii respondere statuit, quum fieri non possit quin aut tota episodia sibi responderent aut non responderent, de partium vero quarundam diversorum episodiorum responsione cogitari omnino non possit. Denique ubi trimetris vel tetrametris metra lyrica vel pedestris oratio intermixta sunt, novam responsionis legem se invenisse plus quam aequum erat praedicat. Quum enim contendat prosam orationem omnino non numerari, versus qui κατὰ στίχον sint omnes numerari, liberiora vero metra quae constanti

vice se non excipiant, unius trimetri loco haberi, eo pervenit, ut Mnesilochi in Thesmophoriazusis monodiam, quae triginta vv. continet (1026—1055), Aeschyli in Ranis monodiam, quae triginta quinque vv. continet (1331—1363), Terei in Avibus monodiam, quae ex triginta sex vv. constat (227—265) nonnisi vv. singulos efficere statuat. Quod ubi recte se habere concesserimus, poëtae verbis vim faciemus, ut numeros pariles efficiamus. Accedit quod omnino intellegi non potest, quomodo responsionem tam artificiosam spectatores auribus perceperint, quod ipse Oerius concedit (in ann. phil. vol. 101 p. 367).

Sed jam ad singulos locos accedamus, quos Oerius responsioni illi astrictos esse censuit. Prologos fabularum omnium praeter Lysistratam Ecclesiazusas Plutum aequabilibus vv. numeris descriptos esse ostendere conatus est; sed hos locos omnes non ea qua par erat verecundia atque temperantia pertractavit, ita ut ostendi possit nullum prologum pares numeros praebere. Acharnensium prologos, si ei credis (cfr. nov. animadv. p. 10—13), ex tribus partibus constat, quarum prima undesexaginta, altera septuaginta unum (32. 33. 6), tertia septuaginta vv. (21. 21. 28) continet; ut vero turbata aequabilitas restitueretur, inter vv. 93 et 127 „non sine ipsius fortasse poëtae consilio unum v. adjectum aut v. 100 prosa oratione scriptum grammatici alicujus sedulitate in senarii formam redactum esse“ statuit (l. c. p. 12). Nam postquam verecundiam quae poëtae traditis verbis debeatur se adhibuisse praedicavit (p. 10), haec dicit p. 11: „ut temere neque vv. ab Aristophane abjudicare neque lacunas statuere licet, ita non video quid obstet, quominus poëtam ipsum sua verba aliquando immutavisse nobis persuadeamus!“ Hanc disputandi rationem non multum abesse ab audacia illa, qua, ut numeri pariles efficiantur, poëtae verba mutantur, non est cur pluribus exponam. Nihil praeterea curavit vir doctus vv. 201 sq., quos Hamakerus suo jure in suspicionem vocavit atque Meinekius Aristophanis esse negavit (in adn. crit. p. LIII): sive cum Hamakero in eorum locum vv. 277—279 transposueris sive eos ita servaveris, ut cum Bergkio duos Amphithei versus post v. 200 excidisse

statuas, semper aequabilitas numerorum, de qua Oerius cogitavit, turbabitur. Accedit quod nostro jure miramur, quod non post v. 42, ubi praeconis verbis contio incipit, sed post v. 60 alteram partem exordiri Oerius statuit, neque satis magno intervallo (v. 134) tertia pars ab altera separatur. Nihil restat nisi ut de prologi hujus aequabili dispositione Oerium nobis persuasisse negemus. Non aliter res in Equitum prologo se habet, ubi quatuor partes, quae numeris 35. 35. 83. 83. contineantur, discernendas esse Oerius (l. c. p. 379 sqq.) docere conatus est. Nam primo non recte egit, quod v. 241 finiri prologum dixit, quum parodus inde a verbis chori (v. 247) demum exordiatur; deinde, ut aequabiles numeros efficeret, nonnullos vv. ejecit, qui pro spuriis habendi esse non videntur. Nam ut largiar ei v. 114, quem primus Wielandius deleverat, deinde Meinekius Kockius Oerius jure in suspicionem vocaverunt; ut largiar ei praeterea v. 215, quem in codice Ravennate omissum jure delevit Kockius: ita mihi neque Bergkius neque Oerius neque Albertus de Bamberg persuadere potuerunt vv. 219 et 227 sq. pro spuriis habendos esse. Nam neque ille versus supervacaneus est, quum singula quae antea enumerata erant complectatur, neque hi languidi, sed recte equites, boni cives, spectatores inter se discernuntur. Nubium deinde prologus, si Oerio (nov. animadv. p. 17) credis, usque ad v. 262 in duas partes dividi potest, quarum utraque centenos vicenos septenos vv. complectitur, sed et ipsa in ternas tricenorum novenorum, tricenorum septenorum, quinquagenorum singulorum vv. partes divisa est, ita ut hoc schema responsionis sit:

39. 37. 51. 51. 37. 39.

Sed ita tantum hos numeros efficere potuit, ut vv. 195—199 in altera recensione additos esse, his vero ejectis omnia bene procedere contenderet. Ubi vero accuratius prologum inspexerimus, necessario fere eo adducemur, ut hos vv. servari posse, contra vv. 108 — 118 pro redactoris additamento habendos esse statuamus [1]). Quae si recte disputata

[1]) Ne longus sim, conferas quaeso quae de Nubium fabula ab Aristophane retractata p. 8 sq. exposui.

sunt, aequabilis illa prologi dispositio tota corruit. In Vesparum prologo hanc responsionem Oerius (in annal. phil. 101 p. 382) sibi invenisse visus est, ut post servorum colloquium (vv. 1 — 53) Philocleo sexaginta duobus vv. describatur (vv. 54—114), deinde quomodo effugerit narretur et duo alii conatus effugiendi describantur quinquaginta tribus vv. (vv. 115—167), denique tertius et quartus conatus effugiendi sexaginta duobus vv. (168—229) contineantur. In quo recte quidem egit, quod v. 77, quem in dissertatione sua (p. 37) deleverat, servavit lacuna statuta et quod cum Meinekio (vind. Arist. p. 25) v. 136 post v. 110 transposuit; sed mirum in modum scenas inter se distinxit, quum tertia pars media in Xanthiae oratione (v. 115) incipiat. Mihi nihil aliud ostendi posse videtur nisi scenas illas quibus effugiendi conatus describuntur ita sibi respondere, ut primus et secundus senis denis (136 — 151 = 152 — 167), tertius et quartus tricenis singulis vv. (168 — 198 = 199 — 229) contineantur. Atque concedendum certe est hanc responsionem, quae breviores vv. complexus inter se conjungat, auribus facile percipi potuisse. Pacis prologum Oerius (annal. phil. 101 p. 380 sq.; nov. animadv. p. 15 sqq.) his numeris contineri contendit:

53. 27. 64. 27. 59. 59.
118. 118.

In quo primum nos offendit, quod v. 295 finiri prologum contendit, quum aperte parodus inde a v. 300 demum incipiat. Deinde de vv. quibusdam delendis non recte statuisse videtur. Nam vv. 87 — 89, in quibus Hamakerus (Mnem. V p. 140 sq.) et Meinekius jam haeserant, servari certe possunt, siquidem v. 87 cum Richtero ita explicamus, ut Trygaeus cantharum obtestetur ut naso domini parcat: in quo ut offendamus tantum abest, ut eo risum spectatorum moveri recte contendamus. V. 98 deinde, quem ei qui antecedit repugnare Hamakero duce Oerius contendit, ita bene servabitur, ut cum Richtero scribamus:

τοῖς δ᾽ ἀνθρώποισι φράσον σιγᾶν·

sic enim intellegitur hos vv. Trygaeum non ad spectatores, sed ad servum conversum loqui. V. 273 quominus cum

Dindorfio et Meinekio ex textu ejiciamus, non obstabo; sed tamen singulae partes pari vv. numero non continentur. In Avium prologo quam contendit (nov. animadv. p. 8 sqq.) inesse responsionem:

48. 48. 70. 70. (2. 34. 34.)

eam nonnisi vi quadam effecisse videtur. Nam ut ei concedam omnes hujus prologi vv. servari posse, quum v. 16, quem Meinekius pro spurio habuerat, Köchlyi emendatione (ὃς ὄρνις ἐγένετ' ἐξ ἀνδρός ποτε) sanatus sit, vv. 181 sq. genuinos esse Hauptius (in prooem. lect. Berol. 1862 p. 5) procul dubio ostenderit, v. 192 recepta Oerii conjectura ὑμετέρας pro ἀλλοτρίας scribentis ferri possit: ita contenderim eum et justo latius prologum extendisse et justo audacius vv. numerasse. Primum quod apud v. 63 quinque vv. excidisse putat, veri vix simile est; deinde Terei illa monodia (vv. 227—262) unius v. loco vix haberi potest; denique, ni vehementer fallor, post v. 208 parodus fabulae incipit. In Thesmophoriazusarum prologo recte Oerius (l. c. p. 372) animadvertit primum colloquium inter Euripidem et Mnesilochum institutum (vv. 1—38) eodem vv. numero contineri, quo alterum, quod interjectis viginti quatuor vv. anapaestiacis inter eosdem et Agathonis servum (vv. 63—100) instituitur. Sed quod (nov. animadv. p. 13 sq.) etiam illas scenas quae parachoregema illud (vv. 101—129) sequuntur artificiose dispositas esse dicit, fallitur. Nam primo non recte contendit eam quae statim sequatur Mnesilochi orationem (vv. 130—145) ex totidem vv. constare atque eam qua prologus finiatur (vv. 279—294); nam illa sedecim, haec quindecim versuum est, quod vero praecedit hemistichium ancillae dictum. Deinde ut vv. 146—212 eodem numero contineri atque vv. 213—278 ostenderet, non solum v. 294 a Meinekio et v. 242 a Cobeto in suspicionem vocatos servavit (qua in re ei libenter assentior), sed etiam in altera parte intercidisse unum v. contendit, fortasse post v. 276 (Bergkium secutus), ubi nullam exstare lacunam primo quisque obtutu facile intelleget. Nihil igitur ex aequabili illa prologi dispositione restat nisi vv. 1—38 et 63—100 responsio, quae eo facilius percipi potuit,

quod utramque scenam partes lyricae excipiunt. Ranarum prologum idem (nov. animadv. p. 14 sq.) in tres partes distribuit, quarum prima, Bacchi cum Xanthia colloquium, triginta septem (vv. 1—37), altera, Bacchi cum Hercule colloquium, centum viginti septem (38—163), tertia, domini servique ad inferos iter (164—311), centum viginti septem (42. 43. 42) vv. contineatur. Sed primo non recte in v. 311 prologi finem constituit, quum parodus inde a v. 324 demum incipiat; deinde alteram partem v. 163 finiri contendit, quum haud dubie inde a v. 166 demum tertia pars incipiat; tum ranarum carmina (vv. 209—220. 228—235) omnino non numerat, quod quomodo cum ea lege quam ipse invenisse sibi visus est (cfr. p. 30) conveniat ipse expediat; denique vv. 168 et 180 Hamakerum et Meinekium secutus ex textu expulit, quamvis ferri certe suo loco possint. Itaque tota illa prologi Ranarum responsio corruit. — Non certiore fundamento nituntur, quae compluribus locis (annal. phil. 101 p. 382 sq; nov. animadv. p. 18) de parili versuum in prologis numero praedicavit. Nam Equitum et Avium prologos et eas Pacis prologi partes quae responsioni astrictae sint ducenis tricenis senis, Lysistratae et Pluti prologos ducenis quinquagenis binis, in Nubium et Ranarum prologis eas partes quae responsioni astrictae sint ducenis quinquagenis quaternis vv. contineri contendit. In quo ut taceam hos numeros nonnisi ejectis compluribus vv. aut lacunis quibusdam statutis effici, nostro jure haerebimus in inconstantia illa, quo modo totius prologi, modo partium quas sibi respondere putat numeros comparavit. Nihil videtur ostendi posse nisi quod re ipsa commendatur, in ipsa fabularum distribuendarum ratione caussam positam esse, quod prologi certum quendam versuum numerum non multum egrediuntur, ita ut non multo plus trecenti neque multo minus ducenti et quinquaginta vv. in prologis conjungantur.

Non recte praeterea Oerius scenas quasdam quae in diversis episodiis inveniuntur sibi respondere dixit. Nam quum episodia illa quae dicimus certis chori carminibus interjectis accurate distribuantur, fieri quodammodo potuit, ut tota episodia eodem vv. numero continerentur, fieri nullo

pacto potuit, ut prioris episodii finis alterius episodii initio responderet, nisi poëtam in pari vv. numero lusisse tantum, spectatores vero illam responsionem non percepisse statuerimus. In eiusmodi responsionibus recensendis ea episodiorum distributione quam Nesemannus (de episodiis Aristophaneis, Berol. 1862) protulit atque probavit utemur. Ac primum in Vespis quam Oerius (annal. phil. vol. 101 p. 376 sq.) invenisse sibi visus est responsionem, ut quinquaginta duos vv., quibus Philocleonis ornatus describatur (1122 — 1173), sequantur primum triginta quatuor de conviviis (1174—1207), deinde quinquaginta duo de potatorum moribus (1208—1264), postremo interjectis chori carminibus triginta quatuor vv. de convivio narretur, ea jam inde refutatur, quod vv. 1292—1325 ad tertium, priores illi ad alterum episodium pertinent. Sed ei id quoque obstat, quod non recte v. 1251 pro spurio habuit; vv. 1239 et 1260 vero recte ex poëtae verbis expulisse videtur. In eadem fabula vv. 1342 — 1481 ita comparatos esse contendit, ut bis vicenos ternos vv. (1342—1363 = 1364 —1386) excipiant bis viceni seni (1387—1414 = 1415—1441), qui vero sequantur octo vv. (1442—1449) respondeant eis qui interjectis chori carminibus vv. 1474—1481 sequuntur. In quo primum offendit, quod responsio in media Philocleonis oratione incipit, quae vero praecedit ejusdem monodia (1335—1341) omnino non numeratur; deinde quod v. 1432 ex textu ejicitur, qui illa quam Hamakerus (Mnem. V p. 4) et Meinekius suaserunt post v. 1439 transpositione sanatur; denique quod vv. 1474—1481 exodo, priores illi tertio episodio annumerandi sunt. De Avium vv. 1188—1705 responsione, quam Oerius compluribus locis ostendere conatus est (l. c. p. 362. 368. 370. 371. 374. 377.) paullo aliter statuendum esse videtur. Primo non possum quin a Nesemanni distributione paullulum recedam: qui quum tertium episodium vv. 1188—1469 contineri, quae vero interjecto chori carmine (1470—1493) usque ad fabulae finem sequantur omnia ad exodum pertinere contendit, non curavit vv. chori 1553—1564 et 1694—1705, qui illi carmini respondent atque fabulae quasdam partes inter se discernunt. Quare equidem potius vv. 1494—1552 quartum, vv. 1565—1693 quintum episodium

efficere, exodum vero inde a v. 1706 demum exordiri contenderim. Jam Oerius primo contendit Pisthetaeri cum Iri colloquium (1196—1261) eodem vv. numero (66) contineri atque colloquium inter Pisthetaerum et praeconem institutum, quod post chori carmen (1262—1268) sequitur (1269—1336): sed quum praeco jam post v. 1312 abeat, non recte qui sequuntur vv. 1313 — 1336 huic scenae annumerantur, haec igitur responsio ferri non potest. Quod vero partem illam priorem in duas tricenorum ternorum vv. partes divisas esse contendit, in quarum priore Iris comprehendatur (1196—1228), in altera cur veniat rogetur (1229—1261), hoc recte dixisse videtur. Deinde eam scenam, qua parricida, ut in novum Avium regnum recipiatur, petit (vv. 1337—1371), ei qua Cinesias advenit (1372—1409) pari vv. numero respondere ut ostenderet, miro quodam modo partes lyricas numeravit: de qua re postea videndum erit. Quod deinde eam scenam, qua sycophanta advenit (1410—1469), cum quarto quod dicebamus episodio (1494—1552) eodem vv. numero contineri dicit, hoc praeterquam quod caussa non sufficiente motus vv. 1432 et 1446 ex textu expulit, eo refutatur, quod totum episodium parti cuidam alterius episodii respondere vix credibile est. Multo minus etiam placet, quod has duas scenas conjunctas eundem vv. numerum efficere contendit, quem quintum episodium exceptis novem primis vv. quibus di adveniunt (1565—1573) habet. In Lysistrata quum Oerius (l.c. p. 387) vv. 1074—1107, quibus quartum episodium incipit, versibus 980—1013, qui ad tertium pertinent, respondere diceret, haud dubie rectum non vidit.

Iam tertio loco ostendi poterit Oerium, ut versuum efficeret responsionem, partes alloeometricas mire numeravisse. Nam ut ei concedi possit interjectiones quasdam extra versum positas atque quae oratione prosa scripta sint omnino non numerata esse, artificiosior quaedam vv. numeratio, qua metra liberiora quae constanti vice se non excipiunt singulorum versuum loco habentur, neque caussis probari neque a spectatoribus percipi potest. Quare nihil restat, nisi ut eos locos, quibus hac tantum numeratione responsio effici potest, artificiose dispositos esse negemus. Ita in Avibus

quam invenisse prologi responsionem Oerius sibi visus est (cfr. pag. 34), ea praeter alias caussas eo quoque refutatur, quod Terei monodiam, quae plus triginta vv. continet, unum v. efficere jubet. Ejusdem fabulae alterum episodium (801 — 1057), si Oerio credis (l. c. p. 366 — 368. 373), ita comparatum est, ut octo amicorum vv. (801 — 808) primo sequantur viginti octo de nomine et dis novae urbis versus (809 — 836), deinde totidem vv., duas in partes denorum quaternorum vv. divisi, quarum prior Pisthetaeri orationem contineat (836 — 850), altera post interpositam stropham sacerdotem inducat (858 — 894 [1]); deinde interposita antistropha poëta inducatur triginta quatuor vv., id est viginti septem trimetris et septem locis lyricis (903 — 957), vates vero totidem vv., qui ex viginti trimetris et quatuordecim hexametris constent (958 — 991); denique de Metone viginti octo vv. (992 — 1020) [2]), totidem, id est bis quaternis denis, prosa oratione non numerata, de episcopo et psephismatopolide agatur (1021 — 1057). Hos igitur numeros oculis subjecit:

14. str. 14.   14. 14.
8. 28. 28   ant. 34. 34.   28. 28.
56.   56.

Iam vero monendum est neque talem responsionis legem, qualem finxit Oerius, ferri posse neque eum vv. 874 et 994 recte delevisse. Nam v. 874, quem grammatici redolere doctrinam contendit neque ostendit (nov. animadv. p. 28), tantum abest ut recte in suspicionem vocatus sit, ut eo deleto colloquii aequabilitas turbetur; nam nostro jure, ut antea, verba quaedam Pisthetaerum interpositurum fuisse exspectamus. V. vero 994 quum dittographiam esse censeat, ridiculas illas repetitiones quae saepe apud poëtam comicum inveniuntur, non tanti facit, quanti sunt. Thesmophoriazusarum episodium tertium (846 — 946) quum quarto (1001 — 1135) respondere pari vv. numero dicat (nov. animadv. p.

1) Nam loci pedestri oratione conscripti omnino non numerantur; v. 874 autem ab Oerio pro spurio habetur, de quo postea videndum erit.
2) Nam v. 994, de quo infra dicemus, Oerius ex textu expulit.

3 — 5), nos offendit, quod vv. 1015 — 1021 unius, 1022 — 1025 quatuor, 1026 — 1055 unius versus loco haberi jubet. De Ranarum denique episodio quarto (1119 — 1481), quod post duos conatus quos ipse reprobavit in nov. animadv. p. 5 — 8 totum artificiose compositum esse ostendere studuit, pluribus agendum erit. Primo contendit sexaginta vv. de Aeschyli prologis agi (1119 — 1179), deinde septuaginta uno de Euripidis prologis (1180 — 1250). In quo quum recte ageret, quod v. 1122 cum Meinekio (in vind. Arist. p. 175) delevit, non recte vv. 1132 — 1136 servavit, quibus misere nexus ille qui inter vv. 1131 et 1137 intercedit turbatur, ex quibus v. 1134 dittographiam v. 1229 esse elucet; maxime vero in eo offendimus, quod vv. 1177 — 1179, quibus aperte de Euripidis prologis jam agitur, priori parti annumerat. Deinde post systema iambicum de melicis carminibus et monodiis sexaginta vv. (1257 — 1369) agi contendit, quos interjecto systemate septuaginta unus vv. de pondere verborum sequantur (1378 — 1459), ita ut numerus ille centum triginta unius versuum iterum efficiatur, scenam vero Bacchi judicio, quod quindecim vv. (1467 — 1481) contineatur, finiri. Sed his numeris primum obstat, quod vv. 1257 — 1260 tertiae parti annumerat, quos nescio an recte Meinekius Hamakerum secutus (vind. Arist. p. 178) ex textu expulerit, qui vero, ubi servantur, haud dubie choro tribuendi et systemati priori ascribendi sunt. Deinde quod disticha illa (vv. 1264 sqq. 1266 sqq. cett.) singulorum vv. numero habenda esse censet, quod vv. 1309 sq. et 1313 — 15, quod totam monodiam (1331 — 1364) singulos tantum vv. efffcere contendit, hoc recte eum fecisse mihi nunquam persuadebitur. In quarta parte cum Meinekio vv. 1416. 1424 (quem v. 1423 repugnare primo quisque obtutu intelleget). 1449 sq. 1452 sq. 1460 — 1466 recte delevit; sed inter vv. 1410 et 1411 tam aperta sententiae lacuna est, ut miremur eum hoc loco lacunam non statuisse. Quare ne haec quidem responsio ferri potest.

Deinde ei loci nobis paucis tractandi sunt, quibus lacunis tantum statutis atque versibus ejectis aut omnino eorum quae in libris traduntur recta ratione non habita numerorum

aequabilitas effici potuit. In Nubium altero episodio eam responsionem Oerius invenit (l. c. p. 373), ut ejectis vv. 707—730, qui ad alteram recensionem pertineant, septuaginta tribus vv. (627—699) de arte metrica et grammatica, totidem (731—803) de caussis obtinendis agatur. At loco illo accuratius inspecto intellegemus vv. quoque 627—635. 694—699. 740—802 ex altera recensione huc allatos et v. 803 pro spurio habendum esse [1]), ita ut haec quoque corruat responsio. In Vespis jam supra monui (p. 36) Oerium non recte, ut pariles numeros efficeret, v. 1251 ex textu expulisse; nam optime cum eo qui praecedit convenit. De vv. 1341 sqq. ejusdem fabulae conferenda sunt quae p. 36 exposui. In Pace versus 819—855 versibus 868—909 respondere ita tantum evincere potuit, ut apud v. 824 quatuor vv. excidisse sumeret. De hac lacuna omnino non erit cogitandum. Ranarum episodium primum (460—604) nonnisi vi quadam adhibita artificiose dispositum esse ostendere potuit. (nov. animadv. p. 33). Nam ita hoc episodium, si ei credimus, comparatum est, ut post quatuor Bacchi et Xanthiae vv. (460—463) quindecim loquatur Aeacus (464—478), quindecim colloquantur Bacchus et Xanthias (479—493); deinde triginta octo vv. ancilla Xanthiam ad deam vocet (494—533) et chori et Bacchi carminibus interjectis copa triginta octo vv. (19. 19) loquatur (vv. 549—568 = 569—589), clausulam vero episodii antistrophae efficiant. In quo quum Aeaci orationem jam a v. 464 exordiri dicat, fallitur; non rectius ancillam jam v. 494, non v. 503 accedere dicit, neque recte eam scenam, in qua copa loquitur, in duas partes distribuit. Sed praeterea de vv. ab eo deletis dubitari quam maxime potest. Nam vv. 519 sq. quidem recte cum Meinekio (vind. Arist. p. 164), v. 570 cum Hamakero et Meinekio delevisse videtur; v. vero 567 non recte interpolatori tribuit, quum quod v. 568 sequatur *καὶ τοῦτο τούτου τοὔργον* recte cum hoc v. cohaereat, neque rectius v. 574 in suspicionem vocasse videtur. Itaque etiam haec responsio corruit. In Ecclesiazusarum episodio primo quam invenit Oerius responsionem, ut quinquaginta uno vv. (376—426) de initio contionis et totidem vv. de lege Praxagorae (427—477) agatur, ea ferri non potest, si cum Meinekio (cfr. adn. crit. p. XXVII) post v. 453 lacunam statuemus, quae fere necessaria videtur.

[1]) cfr. de Nubium fabula pp. p. 12 sq.

Iam paucis verbis ei loci tractandi sunt, quibus recte responsio illa constructiva statui videtur. Ac primum in Acharnensibus Oerius episodium alterum (719—835) et tertium (860—970) eodem vv. numero (114) contineri ostendit (l. c. p. 369). Nam v. 722, quem primus Elmslejus delevit Dobraeo Hamakero Meinekio assentientibus, quamvis Müllerus (ad l.) et Oerius (l. c.) eum tueri conentur, pro spurio habendus est; male conflatus enim est ex v. 625, neque *ἐφ' ᾧτε* hoc loco aptum neque *πωλεῖν πρὸς ἐμέ* usitatum est. Nec minus v. 803, quem Bentlejus primus damnavit, quem jam Suidas non agnovit, cum Dindorfio Bergkio Meinekio Müllero Oerio aliis deleverim; nam quam nuper O. Schneiderus (in annal. phil. vol. 117 p. 115) tentavit transpositionem post v. 810, ut eum servaret, ea ferenda esse non videtur. Sed cur Oerius verba illa *πεπρᾶσθαι πεπρᾶσθαι* (v. 735) extra versum posita esse dixerit, haud intellego. Vv. vero 905 et 928 Dobraeus (advers. II 191 sq.) recte delevit eumque Meinekius et Oerius, partim Müllerus quoque, secuti sunt. Quum vero Oerius quartum quoque episodium (1000—1142) non numeratis octo praeconis vv. (1000—1007) et commo et commi antistropha (1008—1017 = 1037—1046) eodem vv. numero contineri dicat, non satis leges aequabilis illius dispositionis observat: pars enim quaedam episodii alterius alteri toti episodio respondere non potest, neque recte commus ille qui inter chorum et Dicaeopolidem distributus est non numeratur. Hoc vero mihi persuasit, eam scenam qua agricola prodit (1018—1036) totidem vv. habere atque eam qua paranymphus inducitur (1047—1066); nam v. 1064, cujus verba balbutientis esse orationem Meinekius (vind. Arist. p. 19) dixit, ex textu ejiciendus est. Atque monendum est hanc responsionem non solum paucos tantum vv. continere, sed etiam eo commendari, quod interjectis chori carminibus magis sub aures cadit; neque aliter se habet alterius et tertii episodii responsio, quorum utrum-

que chori carmen et praecedit et sequitur. In Equitum primo episodio quod cum parodo conjunctum est vv. 303—456 artificiose dispositos esse W. Helbigius (in mus. rhen. vol. XV p. 251 sqq.) primus animadvertit eique Oerius (l. c. p. 356 sqq.) assentitur. Ea vero responsio hujus loci est, ut priorem stropham decem tetrametri trochaici et alteram stropham trigiuta quatuor tetrametri iambici et systema iambicum sedecim versuum excipiant atque idem numerus tetrametrorum et dimetrorum iambicorum post priorem et alteram antistropham redeat. Sed quum hujus aequabilitatis, quae lyricis partibus intermixtis ita commendatur, ut de ea dubitari non liceat, vestigia eis quae libri praebent paullulum obliterata sint, et Helbigius et Oerius nonnullas lacunas statuerunt. Ac primum duos vv. ante v. 392 excidisse et Av. 798 sqq. comparatis et vocabulo εἶτα (v. 393) verisimile fit; deinde in systemate iambico v. 367 insiciario tribuendum et post eum unius Paphlagonis v. lacunam statuendam esse Helbigius probavit. Oerius vero neque recte v. 368 ejecit et justo artificiosius systema et antisystema iambicum emendare studuit. Nam cur v. 370 insiciario non possit tribui, non assequor; dicit quidem Oerius (in dissert. sua p. 7) „neminem dubitaturum esse quin hic v. a poëta Paphlagoni tributus sit, qui reputarit coriario non coquo coria praeparanda esse", sed perfacile cogitari potest in hac scena, ubi quam maximis conviciis se invicem objurgant, insiciarium, ut risum spectatorum moveret, fere Cleonis partes suscepisse et quod ei aptum erat praesumpsisse. Quem v. si insiciario tribuimus, corruit mira illa duplex lacuna, qua ter versus insiciarii excidisse Oerius censet; corruit mira illa antisystematis iambici mutatio, cujus caussa indagari non potest. In ejusdem fabulae episodio tertio (997—1262) haud dubie recte Oerius (in annal. phil. vol. 101 p. 370. 374. 375; nov. animadv. p. 16) monuit totidem vv. commum et commi antistropham (1097—1130) et praecedere et excipere. Quum vero utramque partem ex centenis quaternis denis vv. constare, priorem in tres partes quatuordecim, octoginta sex, quatuordecim versuum, alteram in duas quinquagenorum septenorum vv. distributas esse dicat, fallitur; nam hoc nonnisi

lacuna post v. 1036 et 1203 statuta effici posse ipse contendit. Illo loco non recte lacuna statuitur, ut corruptum illud εἶτα διάκρινον τότε defendatur; multo praestat Meinekii (vind. Arist. p. 64) conjectura τόδε scribentis. Altero loco jam Bergkius eam lacunam statuit, quae ab Oerio commendatur, ut versus 1204 pars prior Paphlagoni, altera insiciario tribuatur, ante hunc versum vero unus excidisse putetur. Sed si Bothium Sauppium (epist. crit. p. 117) Kockium secuti totum v. 1204 Paphlagoni tribuimus, omnia recte procedere videntur; nam verba v. 1204 Cleoni tributa recte ei versui qui praecedit opponuntur. Haec vero si recte disputata sunt, prior pars 113 = 14. 85. 14, altera 113 = 56. 57 vv. habet. Etiam hoc loco monendum est numerorum aequabilitatem interjectis chori carminibus bene a spectatoribus percipi potuisse. In Nubibus episodii tertii partem quandam artificiose dispositam esse Helbigius (in mus. rhen. vol. XV p. 261 sqq.) et Oerius (l. c. p. 356) monuerunt. Nam stropham (949—956) et antistropham (1024—1031) quinquagenos singulos tetrametros illic anapaesticos, hic iambicos excipere dixerunt; parem vv. numerum vero ita effecerunt, ut post v. 963 duos vv. excidisse statuerent, quamquam lacunae vestigium non exstat [1]). Equidem imparem vv. numerum offendere non posse dixerim, quum haud dubie utraque recensione contaminata effectus sit. Neque aliter se habent vv. 1214—1302 in quarto episodio, quos in duas quadragenorum quaternorum vv. partes, 1214—1258 (Strepsiades et Pasias) = 1259—1302 (Strepsiades et Amynias) distributos esse Oerius dixit (l. c. p. 372); nam lacuna quam inter v. 1258 et 1302 statuit statui non potest, quum nullum in re ipsa lacunae vestigium inveniatur. Et hoc loco eam quam libri praebent inaequabilitatem duarum recensionum conjunctione factam esse dicimus. In exodo Oerius (l. c. p. 373) vv. 1479—1510 in duas denorum septenorum vv. partes distributos esse contendit, fortasse recte, quamvis ultima chori verba (v. 1510) huic scenae annumerata esse

[1]) Ne longus sim, conferas quaeso quae Teuffelius ad hunc locum adnotavit.

nostro jure miremur. In Vesparum primo episodio vv. 760—994 ita comparatos esse Oerius ostendit (l. c. p. 371), ut post eam scenam, qua Philocleonis dicasterium instruitur, (760—862) interjectis partibus lyricis scena totidem versuum (102) sequatur, qua canis ille accusatur et absolvitur (891—994), et ipsa in duas quinquagenorum singulorum vv. partes divisa (891—943 = 944—994). In utraque vero scena singulos vv. Oerius cum Hamakero delevit; nam v. 842 servari non potest, quum ea quae dicitur εἰσαγωγή praecedere, non sequi debeat τὸ κατηγορεῖν (cfr. Hamak. Mnem. III p. 196), v. 903 jam eo damnatur, quod utrique cani Labes nomen fuisse nequit (ibid. p. 200 sq.) In Pace rejectis illis quas non recte Oerius statuerat responsionibus nullum exemplum invenitur. In Avium episodio primo jam Hermannus (elem. doctr. p. 723) aequabilem vv. dispositionem detexit eumque Helbigius et Oerius secuti sunt: ea eo magis probatur, quod neque versus ejicere neque lacunas statuere nos oportet, ut evincatur, et quod partibus lyricis interjectis facile perspicitur. Nam ita comparati sunt hi versus, ut et stropham (451—459) et antistropham (539—547) sexageni terni tetrametri anapaestici et systemata anapaestica senorum denorum versuum excipiant. In Lysistratae primo episodio vv. 476—607 aequabilibus numeris dispositos esse Helbigius (in mus. rhen. vol. XV p. 257 sqq.) et Oerius evicerunt. Nam rectissime cum Engero (ad loc.) ante v. 517 excidisse duo versus putantur et vv. 513 sq., apud Meinekium separati, in unum tetrametrum contrahuntur; rectissime in omnibus editionibus post v. 534 nonnullorum vv. lacuna statuitur; rectissime denique cum Helbigio v. 570 damnatur. Itaque hi sunt numeri horum versuum, ut chori stropham et antistropham quadrageni octoni tetrametri anapaestici et singula systemata anapaestica excipiant, antistropham vero duo tetrametri iambici (539 sq.) praecedant: fortasse recte Helbigius etiam ante stropham duos tetrametros iambicos excidisse putat. Ranarum alterum episodium (738—813) in tres partes dividendum esse, quarum prima ex sedecim, altera et tertia ex tricenis vv. constet, recte monuit Oerius (l. c. p. 375). Denique Pluti exodum (1097—1209) eodem loco monuit ita comparatum esse, ut tres tricenorum septenorum versuum partes duo excipiant tetrametri anapaestici.

Jam si omnia hujus responsionis exempla animo reputaverimus, fatendum erit multo minorem esse Aristophanis artem quam Oerius cogitavit. Nam primum bina constructivae illius symmetriae exempla in singulis antiquioribus fabulis inveniuntur, praeter Pacem, quae nullam, et Nubes, quae tria exempla, sed illa retractatione fabulae obliterata, praebent; singula insunt in Lysistrata Thesmophoriazusis Pluto, nullum in Ecclesiazusis. Inde nostro jure colligimus Aristophanem hac responsione uti non solitum esse, sed interdum, ubi res ferebat et aequabilis illa dispositio facile a spectatoribus percipi poterat, numeros pares reddidisse, ut in sententiis quoque aequabilitatem quandam inesse accuratius intellegeretur. Nam hoc altero loco monendum est, omnia quae enumeravimus exempla tribus exceptis ita comparata esse, ut partibus lyricis interjectis numerorum aequabilitas magis conspiciatur; haec tria vero (Vesp. 136—229; Nub. 1214—1302; Plut. 1097—1209) non magnum versuum respondentium numerum complecti, ita ut haec quoque responsio facile sub aures cadat. Quod vero in altera parte dicebam (cfr. pag. 25), Aristophanem artem in prioribus fabulis magis excoluisse, in recentioribus neglexisse, ex hoc quoque responsionis genere intellegitur. Nam in Acharnensibus prologus primum episodium exodus hac responsione carent, alterum tertium quartum episodium nonnulla ejus exempla praebent. In Equitibus episodium primum cum parodo conjunctum et episodium tertium numeros aequabilibus vicibus dispositos habent, quum prologus alterum episodium exodus eis prorsus careant. In Nubibus tertium et quartum episodium et exodus exempla hujus responsionis praebent, sed numeri non prorsus sibi respondent, quod inde factum esse contendimus, quod prior fabulae recensio nobis non tradita est. In Vespis prologus et primum episodium huic responsioni astricta sunt, ceterae partes ejus exempla non habent. In Pace quod nullum hujus responsionis exemplum invenitur eo excusari putamus, quod partibus lyricis abundat atque hanc ob rem diverbiis respondentibus locus

esse non videtur. Aves agmen earum fabularum claudunt, in quibus major quaedam ars conspicitur; in ceteris nonnisi pauca et disjecta hujus responsionis exempla insunt, minima vero ars in Pluto et Ecclesiazusis conspicitur. Itaque in ultimis fabulis ars illa paullatim imminuta esse et evanuisse videtur.

Sed jam ad finem perventum est, quum ostendisse nobis videamur in Aristophanis fabulis artem quandam a poëtarum tragicorum arte non valde diversam cerni. Nam primo evicimus — nisi voluntatem vires defecerunt — id responsionis genus cui veteres stichomythiae nomen indiderunt apud Aristophanem quoque inveniri, sed paullulum imminutum esse ejus usum neque ad hanc perfectionem id esse adductum quam apud poëtas tragicos, inprimis apud Euripidem, admiramur. Quum vero in recentioribus fabulis plura quam in prioribus stichomythiae exempla inveniantur, collegimus poëtam primo reconditiorem quandam artem captavisse et postea demum ad facillimum illud responsionis genus rediisse. Majorem deinde artem ostendimus in diverbiis inter singulas personas aequabiliter distributis cerni; hanc responsionem primo prope ad stichomythiae rationem accedere, deinde vero arte magis exculta majores vv. complexus continere. Haec responsio ut recte a spectatoribus perciperetur, non sine quadam veri similitudine conjecisse nobis videmur partes illas arte musica adjutrice distinctas fuisse. Eandem orationum in aequabiles partes distributarum naturam fuisse persuasum habemus. Denique eo processisse artem concessimus, ut interdum totae scenae vel tota episodia pari vv. numero sibi responderent; haec vero exempla ita comparata esse contendimus, ut aut partibus lyricis admixtis aut parvo versuum numero facile percipi possent. Hoc vero iterum atque iterum repetendum esse videtur, poëtam in pari versuum numero non modo lusisse, sed eum semper id egisse, ut hi pares numeri spectatorum auribus accomodarentur atque inculcarentur. Id denique semper agendum esse contendimus, ne vv. ejectis et lacunis statutis, nisi sententia ipsa postularet, numerorum aequabilitatem vi extorquere conaremur neve partibus lyricis diverso modo numeratis aut non numeratis eam efficere studeremus.

Haec habui, de Aristophanis in diverbiis componendis arte quae dicerem; quae quamvis pauca tantum nova afferant, tamen ad quaestionem illam de externa poëtae arte philologis prolatam rectius intellegendam atque pertractandam aliquid contulisse atque ideo fructu suo non caritura esse spero.

Curriculum vitae.

Anno MDCCCXLIV a. d. VIII. Kal. Aug. Fridericus Witten natus sum Sciphinstadii in ducatu Brunsvicensi patre Friderico Witten, notario publico, et matre Eleonora ex gente Goertz, ex quibus ille anno MDCCCXLV, haec anno MDCCCLX diem obiit supremum. Anno MDCCCLVI in scholam Guelferbytanam me contuli, cuius discipulus usque ad annum MDCCCLXIII fui atque in qua a Justo Jeepio praecipue amore literarum Graecarum et Latinarum me imbutum esse grato pioque animo recordor. Anno MDCCCLXIII per semestre hibernum in academia literaria Berolinensi philologiae quae dicitur classicae et philosophiae operam dedi, viris doctissimis Boeckhio Hauptio Helferichio ducibus. Ab anno MDCCCLXIII usque ad annum MDCCCLXV per tria semestria in academia Georgia Augusta Gottingensi philologiam veterem philosophiam theologiam viros doctissimos Sauppium Ern. Curtium Wieselerum Lotzium Lünemannum docentes audivi necnon per totum illud tempus proseminarii et seminarii philologici exercitationibus quas Ern. de Leutsch Sauppius Curtius viri doctissimi moderabantur interfui. His viris omnibus gratiam habeo quam maximam: Sauppio, quod auctorum veterum recte explicandorum et emendandorum et artis grammaticae accurate pertractandae dux mihi fuit acerrimus et optimus; E. Curtio, quod artis Graecorum amore me imbuit quam maximo; Lotzio, quod et artis logicae et psychologiae et philosophiae quae dicitur religionis leges mihi tradidit. Denique per unum annum in academia Lipsiensi usque ad annum MDCCCLXVI philologiae et theologiae operam dedi,

quarum magistris viris doctissimis G. Curtio Ritschelio Ecksteinio Luthardtio Kahnisio Frickio usus sum. In quibus quum G. Curtius philologiae quam dicunt comparativae elementa mihi traderet, Ritschelius priscae latinitatis monumenta qua erat diligentia et quo erat ingenii acumine pertractaret, Luthardtius Kahnisius Frickius in theologia dogmatica et biblica summa diligentia me instituerent, ex his quoque studiis fructum magnum percepi. Sodalis vero fui seminarii paedagogici, in quo Ecksteinio duce spectatissimo docendi exercitationibus et disquisitionibus paedagogicis interfui. Deinde quum per semestre aestivum anni MDCCCLXVI examinis publici munera mihi proposita absolvere conatus essem, die XV. mensis Octobris ejusdem anni munus praeceptoris in gymnasio Helmstadiensi mihi delatum est. Hoc munere, postquam mense Martio a. MDCCCLXVII examen publicum pro facultate docendi Brunsvigae sustentavi et examina publica theologica pro licentia concionandi et pro ministerio Guelferbyti mense Octobri anni MDCCCLXVII et mense Novembri anni MDCCCLXX absolvi, usque ad annum MDCCCLXXII functus sum. Hoc tempore vero studia philologica persecutus sum atque praecipue in stichomythiam quae dicitur et alia responsionum genera, quae apud poëtas Graecorum tragicos inveniuntur, inquisivi, quorum studiorum specimen edidi, quum libello scholastico Helmstadiensi a. MDCCCLXXII disputationem quae de tragicorum Graecorum stichomythia inscribitur praemitterem. Inde a Kal. Oct. ejusdem anni Erfordiam migravi, ubi munus praeceptoris in gymnasio mihi delatum erat, quo adhuc fungor. Erfordiae quoque studiis philologicis me dedi atque praecipue in Aristophane operam posui; edidi anno MDCCCLXXVII quaedam de Nubium fabula ab Aristophane retractata, quae et ipsa libello scholastico inserta sunt.